



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Pars I. hujus Libri de Miseriis sæculi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)





# PARS PRIMA

Huius Libri, de Miseriis sæculi.

**N**ihil est in vniuersa creaturarum multitudine, siue cælestia, siue terrestria spectemus, siue etiam inferiora ergastula purgandorum, aut perpetuos cruciatus damnatorum inspiciamus, quod non nos ad Deo per vitam spiritualem seruendum inuitet. Hanc enim spiritualem vitam æterna malorum pœna sua interminabili duritate suadent, vt ab illis liberemur: hanc voraces purgatorij ignes imperfectis, ac tepidis preparati deposcunt, ne eorum acerbitate teneamur: hanc terrestria docent, dum nobis, vt Deo fideliter seruiamus, obsecundant: hanc demum cælestia proponunt, dum se præmia fore spiritualis vitæ promittunt. Breuiter, omnia siue prospera, siue aduersa, siue magna, siue parua, voces sunt, quæ auribus nostris rerum labentium vanitatem, & rerum cælestium, ac spiritualium dignitatem inclamant. Quia ergo scribere incitamenta ad vitam spiritualem capessendam aggredimur, latissimam disputationem eorum quæ nos ad propositum finem incitarent, instituere possemus: sed ne extra religiosum statum, quem ad perfectionem excitare nitentur, diuagetur oratio, omnibus alijs prætermisiss ea solum quæ propria sunt huius professionis incitamenta tractabimus. Quæ omnia ad commemorationem malorum sæculi, quorum nos immunes per vitam religiosam fecimus, ac bonorum, quæ in ipsa vita religiosa reperimus, possunt facili negotio reuocari. Hæc ergo tantum incitamenta spiritualis vitæ à sæculi miseriis incipiendo proponamus. Ista autem Prophetæ Ezechiel sequentibus verbis enumerat. Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando natus es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Non peperit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his, misertus tui: sed proiecta es super faciem terre in abiectioe animæ tuæ in die, qua nata es.]

Multi esse, quæ religiosos ad vitam spiritualem inuitant.

## CAPVT I.

**M**ulti sunt in religioso statu, quæ cultores vitæ religiosæ constringunt vt vitam spiritualem amplectantur, & summo conatu, ac vi, in fastigium perfectionis conscendant. Hoc ab illis efflagitat scopus, ac finis, quem Deus sibi in eorum admirabili vocatione constituit, qui post suæ gloriæ manifestationem, non fuit alius, nisi, vt hi ad religionem vocati, super vniuersas res creatas se animo efferant, sanctitatem, ac animi puritatem expectant, vitamque cælestem in terris, & angelicis spiritibus cognatam instituant. Quam si non sedulo diligenterque quaerant, & penitentia, ac virtutum fructus fecerint, non minus profecto erunt vituperabiles, quam illi infideles agricolæ, qui cum tempus fructum appropinquasset, dominum vineæ contempserunt, seruos plagis ac verberibus cæciderunt, filiumque heredem vnicum interitu crudeli multarunt. Hoc idem faciunt religiosi, qui tempore fructuum, id est, tempore vitæ Deo consecratae, fructus virtutis ac sanctitatis non ferunt, dominum, prouentus exigentem, asperrantur, seruos

Matt. 21.  
34.

**A** domini, videlicet prælatos contristant, & Christum filium Dei à mentibus proprijs exturbant, & immaniter in semetipsis interimunt. Quæ enim maior excogitari potest Dei, eos vocantis contemptio, quam ipsius assiduis vocibus non obtemperare, nec tot beneficijs, quæ singulis momentis accipiunt, ad virtutem capessendam emolliri. Et quæ grauior prælatis potest esse tristitia, quam si videant suos labores in corrigendo, in docendo, in exhortando perfundari, & religiosam disciplinam à se impensè dilectam, conculcari? Et tandem quæ Christi ex proprijs sedibus, scilicet ex religiosorum cordibus ignominiosior eiectio, quam virtutis possessionem proterere, sine cuius pulchritudine Christus in mente religiosa non habitat: sed iratus, & quasi ignominia affectus abscedit?

**B** Hoc postulant media, atque præsidia, quibus ad vitam instruuntur spiritualem, atque perfectam, cuiusmodi sunt diuinorum frequentia sacramentorum, sanctorum librorum assidua lectio, iuris oratio, ac rerum cælestium intentissima meditatio, exempla, & monitiones fratrum, & cura sollicita prælatorum, quæ omnia inaniter recipit, qui eorum vtu in spiritu & virtute non proficit. Hæc sunt illa quinque talenta, quæ fideles serui à Deo prouido Patrefamilias ad negotiandum accipiunt, hæc negotiationi exponunt, vt alia quinque talenta lucrifaciant. Nam

Matt. 25.  
20.

C

facra



sacramentorum susceptione puritas, mentis lectione scientia, oratione robor ad spiritaliter viuendum, exemplis virtus, & sollicitudine prelatorum, omnis tentationis victoria conquiritur. Qui autem pretiosissimis illis talentis ditatus, hæc posteriora in animæ suæ lucro non ponit, detestabilior erit illo, qui vnico talento accepto, negligētia ductus, & pusillanimitate coactus, summam argenti sibi commissam abscondit in terra, & non auxit pecuniam domini sui. Iste enim, qui denotat hominem sæculaream, si modicum quid accepit, nimirum vnum talentum, vt obseruaret mandata, modicum etiam potuit lucrifacere, & si nõ lucratus est, nõ multum potuit substantiam domini sua otiositate minuere, ille verò, religiosus scilicet, qui multum accepit, & cui vltra talentum mandatorum, talentum etiam consiliorum si commissum est, magnam faciet diuitiarum spiritualium iacturam, quas Deus ad suæ gloriæ cumulum vellet acquirere, si piger in hoc quætuoso statu, ac negligens inueniatur. Multo potiori ratione seruus malus, & piger vocabitur, & omnibus bonis nudatus in tenebras mittetur exterioribus, siquidem non vilem pecuniam & contemptibilem: sed cælestes thesauros perdidit, & incomparabiles opes amisit.

Ad vitam etiam spirituale mouet ipse status religionis, status vtique sanctus, atque perfectus: hunc illi arripiunt, qui vitam angelicam, & Deo quam simillimam concupiscunt: illi proficuntur, qui aut iam perfecti sunt, aut ad perfectionem agili cursu, & celeriter passu contendunt. Status autē perfectionis quomodo vitam carnalem, vitiisque fœdatam admittit? Status cælestis, & angelicus, quid nisi vitam angelicam, & studia cælestia postulat? Is qui hunc nobilissimum viuendi modum admittit, in primis se cum versare in animo debet assidue (vt verbis cum Basilij moneamus) cum vltra humanæ naturæ fines processerit, vitæ se cuidam instituto à corpore se iunctæ tradidisse, angelorum conuersationem dum sibi imitandam proponit. Siquidem proprium hoc est angelicæ naturæ liberam esse à vinculis coniugij, neque ad aliam vllam contemplandam pulchritudinem animo distrahi, sed oculos in Dei os assidue intentos habere. Quam ob rem qui in angelicæ iam dignitatis ordinem transiit, is si humanis se postea prauis affectionibus contaminet. Pardi assimilis efficitur pelli, cuius setæ, neque ex toto albæ sunt, neque ex toto nigre, sed cum sint dissimilium colorum mixtione variegatæ, & interpunctæ, neque in albis numerantur, neque in nigris.

Tales profus sunt religiosi, qui in statu cælesti vitam terrenam, in instituto spiritali occupationes mundanas, & carnales non horrent, cum enim Deo dicata vitæ velint sæcularem adiungere, neque ex toto sunt religiosi, neque ex toto mundani, sed monstra quædam horrida duorum statuum valde diuersorum commixtione variata. His per Sophoniã comminatur Dominus, cum ait, Visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina. Nõ enim ad fugiendam iram Domini sufficit, quod quis princeps sit, & filius regis hoc est, quod ad statum pertineat proprium filiorum Christi & eorum, qui super affectus, & passiones suas obtinent principatum, si vestem induant peregrinam, mores scilicet sæculares, & minime contentaneos religiose professioni.

Mouet similiter locus in quo religiosi habitant, à curis diuitiarum, honorum, & voluptatum sequestrati. Quid enim sunt monasteria, nisi præsidia munitissima (vt Laurentius Iustinianus ait) sanctorum

angelorum vallata custodiis, ignitarumque orationum roborata suffragiis? In his autem arcibus munitissimis, quæ nos vindique suis muris defendunt, à dæmonibus, solo clamore, & vocu procacitate vincit, solis inanibus minis prosterni, magna ignominia est. Est sanè monasterium, aut religiosa domus, paradysus voluptatis, in quo ponit Deus homines, quos in dilectissimos filios efformat. Est cælum quoddam empyreum, in quo gustat, & vident, quam suavis est Dominus. Equum verò est, vt in terrestri paradiso viuentes, primi parentis errato cautiore, & prudentiores effecti, à veteroso serpente non decipiantur, & cæli imaginem, scilicet cœnobium incolentes, à terrenarum affectionum facibus expediti, nihil mundanum sapiant, & solam virtutem, & propriæ mentis perfectionem inquirant. Eorum quisque internis auribus vocem Domini loquentis audiat, sibi que illud dictum existimet, quod in Exodo scriptum est, Solue calcementum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Hac verò visione compunctus, calcementa, quæ ex mortuorum animalium pellibus conficiuntur, hoc est, mortiferas occupationes, & inutiles affectiones dimittat, si vult à monasterio, aut à cella non vomit. Sapienter enim dixit Bernardus. Morticinum mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus sanctus, vel terra sancta nequaquam diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus est, in qua dominus & seruus eius sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum, in qua crebro fidelis anima verbo Dei coniungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humanis diuina vniuntur. Quid enim infelicius, quam in loco sancto, non sancte, sed profane, & tepide viuere? in conclau Christi amici charissimi, non cum eo, sed cum mundo miscere colloquia: in cubili sponso, non sponso vni, sed hostibus sponso inuerecundè prosterni, & peccatis ac imperfectionibus sociari?

Vitam quoque perfectam & spiritualementem non solum generant, sed fouent ac nutriunt sanctæ occupationes locum solæ in cœnobis inuenientes, quæ non sunt honorum ambitio, voluptatum cura, diuitiarum comparatio, sed studium virtutum omnium, & cultus Dei, sordes affectionum detergēs, mentem purificans. Qui verò inter tot adiuueta proficendi non proficit, & vitam spiritualementem non arripit: similis erit illi, qui inter cibos delicatos fame cruciatur, inter calices vini pretiosi siti conficiunt, inter sapientes, quos semper audit, perstat ignarus, & inter diuites, qui ei suas opes donant, manet pauper, atque mendicus. Huic optimè conuenit illud Salomonis. Abscondit piger manum suam sub ascella, neque ad os suum applicat eam. Habet enim in sua potestate innumeras occasiones virtutis, quibus tamen, neque à vitiis fugit, neque ab imperfectionibus liberatur, quia virtuti manum admouere non audet. Quadrat etiam in illum, quod alio loco dicit idem Sapiens. Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quam plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi. Sola namque causa mendicitatis suæ, & non perueniendi ad virtutis fastigium est, quod non exerit manus, & tantis studiosis occupationibus, quales sunt in religiosa vita, ad sui spiritus instaurationem non vitur.

Similiter mouet ad spiritualementem vitam communis opinio ab vniuersis sæcularibus de vris religiosis concepta, putant enim, eos, qui se mundo exemerunt, homines esse sanctos, atque perfectos, vitæque genus profiteri valde alienum ab ingenio carnis, &

languinis:

Exod. 3.5.

Bern. epistola ad fratres de mō. Dei, nõ longe à principio.

Prov. 19. 24.

Eccles. 4. 6.

Basil. ser. 1. de institutionibus monach.

Sophonia 1.3.

Laurent. Iust. lib. de obedient. cap. 17.



sanguinis: nec decet hanc opinionem fallere, & per quamdam hypocritam totum orbem in errorem inducere. Siquidem hypocrita (vt auctor est Basilius) dicitur histrio, qui in theatro personam sustinet alienam, saepe heri, cum sit seruus, aut regis, cum sit priuatus. Ita isti, qui vitam religiosam, quam praeserunt, operatione non tenent, aliud intus sunt, & aliud exterius oculis inspicientium ostendunt; iure ergo cum simulatoribus, & hypocritis numerantur. Quibus sine dabo euenit illud Isaiae. Erubescetis super hortis, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis. Horti namque, quos eligunt, sunt (vt exponit idem Basilius) externae simulationes, quibus vitia saecularia, & aliena ab statu religioso obumbrare solent. Sed harum simulationum causa in die postremo erubescet, cum apparebunt in conspectu iudicis, sicut quercus detractis foliis. Ita enim arbor foliorum coma adornata, pulchra videtur, illa vero detracta decorem amittit, & deformis apparet. Ita hi mundum statu dumtaxat, & non moribus deferentes, depulsis simulationibus, quibus tamquam foliis mores distortos tegebant, apparebunt, quod sunt mundani, vitiiis obnoxij, cupiditatibus rerum temporalium corrupti: eisque non honor sed dedecus & ignominia conueniet.

Et tandem ipse habitus, quo religiosi operiuntur, vitae perfectionem exposcit, qui cum sit a vestibus mundanorum distinctus, & ab amictu eorum segregatus, vitam etiam valde diuersam, ac mores alios designat. Ad quid enim veste à mundanis separantur, si illis vitae abiectio ac imperfectio iunguntur. Quidam religiosorum albis vestibus induuntur, vt internam animi puritatem foris designent. Alij nigris, vt mundi contemptum, vel (auctore Anselmo) vt sui despectionem denotent. Alij albis simul & nigris, vt internam sanctitatis, & exterioris mortificationis se esse cultores ostendant. Alij fuscis, siue pullis, vt simplicitatem, & humilitatem praeseferant. Alij vtuntur veste communi, vt se propter amorem Dei (sicut Paulus) omnibus omnia factos esse profiteantur. Quid est hoc? Nisi quod vestes ipsae clamant, & religiosos mundana omnia deseruisse, & vitam, ac mores sanctorum fuisse complexos. Omnes vestes religiosae (quod Cassianus late profertur) mysticum aliquid & spirituale significant. Pileus in similitudinem crucis efformatus, quo omnes clerici religiosi caput obtegimus, index est, nos sub Cruce Christi militare, & velut tanti ducis antesignanos, eius vexillum per vniuersum mundum deferre: Cucullus, quo monachi caput operiunt, innocentiae est, ac puritatis insigne. Omnes veste vtuntur ad talos vsque demissa, & cingulo renes constringimus, vt tum longanimitatem, atque constantiam, tum carnis mortificationem, & animum agilem & expeditum ad officia virtutis ostendamus.

Haec vana non sunt, vt haeretici, non solum insani, verum etiam ignari, atque stulti mentiuntur, sed fructuosa, & vtilia. Nam si in republica saeculari, reges, nobiles, & iudices aliqua externa gestant indicia, quibus ab aliis cognoscantur, & à reliquis discernantur, cur non gestent Ecclesiastici, & religiosi, qui, & perfectiorem statum habent, & vita à populo multo magis debent esse discreti? Si famuli, & pueri regis terreni induunt vestimenta decreta, quae nemini, qui non sit de aula regia, licet induere; cur famuli regis caelestis, quales sunt religiosi, vestes proprias & peculiarias non induant? Sed ne vana sint haec, oportet, vt vitia religiosi teneant, quod vestimentum designat. Sicut enim rideretur priuatus, qui virgam censoriam iudicis, aut diadema regis gestaret, ita riden-

aus esset, & contemnendus, qui impurus, & superbus existens, vestimento humilitatis, & puritatis induitur. Cogitate ergo, fratres (inquit Augustinus) quam reprehensibile est, si sub tali habitu superbia lateat, vel luxuria. Summe igitur necessaria est in eremomantibus, ipsa humilitas, quae designatur per vestem. Et alio loco, Nos, qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, & nomen religionis habemus, nigram vestem humilitatis portamus; zonis etiam praecincti appaeremus: caueamus ne similes simus sepulchris dealbatis, quae foris pulchra, & dealbata apparent, sed intus plena sunt fetore, & ossibus mortuorum. Habitus igitur ipse, quae gestamus, & omnia illa, quae breuiter perstrinximus, nos admonent, vt simus vitae spiritualis atque omnis virtutis cultores.

Inter ea quae religiosos mouent ad vitam spiritualem, magis momenti esse considerare mala saeculi, & bona religionis.

### CAPVT II.

Æc omnia, quae diximus, magna sunt incitamenta virtutis, magna perfectionis, ac sanctitatis adiumenta, sed inter illa non infimum, imò praecipuum locum obtinet ad incitandum nos ea meditatio, qua consideramus, & serid expendimus ingentia mala saeculi à quibus per vitam sumus religiosam liberati, & innumerabilia bona, ad quae religiosè viuendo sumus euecti.

Hæc sanè notio ex mètibz nostris hunc fructum reportabit, vt pudeat nos à tantis malis sine fructu euasisse, & tam ingentia bona sine vilitate cõparasse. Hæc inspectio illud in nobis faciet, vt vitã tantã amplitudine dignam exoptemus, & pro ea assequenda fortiter, & constanter laboremus. Quantum hæc consideratio valeat, facile hoc exemplo cognoscitur.

Fingamus animo puellam cuiusdam perduellis in sterquilinio iacentem, quae, & nuda sit, & omnis cibi, ac potus indiga, cuius opus sit cum muscis, & culicibus ludere, & se in puluere, atque stercore volutare: insuper, quae posita sit in periculo, vt à iumentis trahentibus conculetur, & à bestiis deuoretur, & occidatur. Cogitemus quoque transire regem, qui videt puellam miserabiliter iactatam, & ex famulis proditoris filiam esse cognoscens, misericordia motus, eam leuari iubeat, & in aulam regiam deferri, vbi velut Regina nutriatur, & inter delicias, & voluptates educetur. Addamus etiam, quod rex puellam illam miserabilem regalibus cibis sustentet, vestibus pulcherrimis induat, & gemmis pretiosis exornet, ac tandem cum ad nubiles annos peruenerit, praecipiat vocari Reginam, atque eam ducat vxorem. Certè istam feminam nihil amplius in amorem regis accenderet, quam suã pristinã miseriam animo voluere, & praesentem gloriam, ac splendore meditari. Videns enim se ex sterquilinio in aulam regiam introductã, ex filia hostis, reginã, & ex miserrima muliere, coniugem magni regis effectam: quidni eum diligat, illi impensè obsequi, & placere cupiat, cuius amore, & beneficio tantam ignominiam, & calamitatem euasit, & tantã honoris, ac prosperitatis gloriam accepit? Et ipsã vniuersis animabus religiosis contigisse, & hoc maximũ beneficium à Domino percepiisse, ad eũ euides est, vt planè insipies sit, & oculis captus, qui istud donũ non videat, nec tantam religiosorum felicitatẽ agnoscat. Vidi ego, Domine, saepe hoc praestitissimum do-

Basilius de laud. uirum.

Isaia 1. 30.

Basilius in Isaia. 1.

Anselm. de similitud. c. 92.

1. Cor. 9. 22.

Cassianus li. 1. de institutis.

Aug. ser. 27. ad fratres.

Idem ser. 28. ad fratres.

Matt. 23. 27.

Simile.



num mihi sine vllis meritis bonis, imò & cū multis meritis malis prerogatum. Vidi & expaui, gauisus sum, quia recepi, fleui, & contristatus sum, quia tanto beneficio me ingratum esse cognoui. Vellem vt omnes religiosi grati essent, & hoc ingens donum agnoscerent, & eius gratia in perpetuum tuam maiestatem laudarent. Audiant igitur, quo pacto ista omnia cum anima religiosa facta sint, audiāt, & admirentur tantam tui erga illos bonitatem, gaudeant ob suam eximiam prosperitatem, doleāt de propria stoliditate, & ingratitude, & hæc audiendo se ad amorem sanctitatis, & perfectionis inflamment. Omnes nos, quamdiu in sæculo vitam agebamus, paruuli eramus, non quidem paruuli ætate, sed paruilli virtute. Optimè enim dixit Ambrosius. Iuxta animam, & corporis numeramus ætates, non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis, vt vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, & lubricum adolescentiæ animi maturitate non sentiat. Pusillus, qui nullum adhuc virtutis videatur habere processum.

Ambrosius in Lucam. c. 2.

1. Corint. 14. 20.

Prover. 1. 22.

Prover. 22. 15.

Ioann. 4. 34.

Philipp. 3. 8.

2. Petr. 3. 10.

Paruuli eramus illa paruitate, quam nos Paulus cauere præcipit, dicens: Nolite pueri effici sensibus. Quia tamquam pueri inscij & ignari de rebus iudicabamus, & sola præsentia considerantes, futurorum & æternorum nullā habebamus rationem. An non paruuli, quibus per Salomonem dicitur, Vt quequo paruuli diligitis infantiam, & stulti, ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? An nõ paruuli, qui nec primos gressus dirigebamur, vt veniremus in virum perfectum, in mēsuram ætatis plenitudinis Christi? Certè paruuli eramus, quod & teneritudo animæ nostræ indicabat leuissima occasione læguens, tenuissimis etiam tērationibus cedens, & paruitas staturæ spiritalis, quæ minimis rebus minor erat, & stultitia, quæ alligata erat in corde nostro, & puerilitatum desiderium ostendebat.

In sterquilinio iacebamus nudi, & famelici, nudi, quia virtutibus vacui, famelici, quia cognitione diuinæ voluntatis expertes. Nam si vestes animæ sunt, humilitas, castitas, mansuetudo, & virtutes reliquæ, quæ animæ turpitudinem contegunt, & à frigore, & æstu vitiorum defendunt, satis ignominiosè nudus erat, qui virtutum decore carebat. Et si cibus animæ est, diuina voluntas, secundum illud Domini: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est, intolerandam famem patiebatur, qui hanc voluntatem sciens & volens ignorabat, & tam suauis epulo non saginabatur. Sed quod est sterquilinum? Ego non puto aliud esse quàm sæculum: Quia sterquilinum est receptaculum stercore, his autem plenus est mundus, quod Paulus, non cæcus, sicut mundani, sed diuino illustratus lumine, manifestè testatur, Omnia (inquit) detrimentum feci, & arbitror vt stercorea, vt Christum lucrificiam. Quid putas esse stercorea, o Apostole sancte: An argentum & aurum? an gemmæ, & lapides pretiosi: an purpura, & byssus, & vestes pulchræ & delicatæ? an amplissimarum domorum & amenissimorum hortorum dominia? an opum, & dignitatum possessio: an voluptatum, & deliciarum acquisitio stercorea sunt? ita planè. Stultis hæc, & ignaris hominibus alicuius momenti esse videntur, sed mihi vilissima stercorea apparent, & omnia arbitror vt stercorea, vt Christum lucrificiam. Numquid non stercoreus est, quod abstergitur, & tamquam inutile & immundum ex domo proicitur? Sed hæc omnia Deus tamquam immunda, & infructuosa absterget ex hac amplissima domo mundi, cum adueniet dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu tran-

sient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Numquid non stercoreus est, quod in saniem, & tabem, & vermes conuertitur? Sed homo præcipua mundi creatura, in cineres, in vermes, & in faecorem resoluitur. Quid erunt alia, quæ eius gratia condita sunt, si ipsius splendor, & gloria in saniem, & tabem commutatur? O quam verè, & sapienter in libris Machabæorum scriptum legimus; Et à verbis viri peccatoris, ne timueritis, quia gloria eius stercoreus, & vermis est, hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia cõuerfus est in terram suam, & cogitatio eius perit. Si ergo mundus locus est stercoreibus plenus, non sumus iniuriosi in illum, si fetidum sterquilinum appellamus. In sterquilinio sanè sunt animalia immunda, quæ ibi suis fordidibus aptam sedem inueniunt, at quis explicare poterit quot huiusmodi animalia in mundo reperiantur? In eo securus iacet lupus rapacitatis, leo crudelitatis, taurus somnolentiæ, equus, & mulus luxuriæ, asinus pigritiæ: sedes tantorum vitiorum tam immanium peccatorum, quid nisi sterquilinio comparetur? In hoc sterquilinio iacebamus, longè inferiores & infeliciores Iob, quem dæmon ad certamina & labores expetiit. Nam ille saniem testa radebat, & suam calamitatem deplorabat: nos verò, nec vermes peccatorum contritionis testa radebamus, nec nostras miserias desebamus: quinimò, ridebamus, latebamus, cum impuris cogitationibus, ac inanibus desiderijs ludebamus, & in tabe, ac stercore peccatorum volutabamur, vt quotidie euaderemus fecciores. Ibi non solum instabat mortis spiritalis periculum: sed qualibet hora nos iniuria rodebat, superbia inflabat, luxuria concubabat, ita discerpebat; (& quod peius est) hæc erat nostra voluptas his vitijs subiacere, tantis malis proteri, tantis miserijs dilacerari.

Machab. 2. 62.

Iob. 1. 8.

Vidit nos Dominus eo modo, quo diximus, in sæculo commorantes. Vidit nos in olido, & tetro sterquilinio iacentes. Vidit profrus quod ad nos attinet, quales ante aduentum Saluatoris eramus, scilicet (vt verbis Chrysostomi vtar, paucis omissis) non in lecto, sed in ipsa malitia, in prauitate, velut in stercore proiecti, vlcerebus, ac fetore pleni, squalidi, superflui, idola magis, quàm homines. Circumstant nos dæmones mali, princeps ille mundi ridens instabat. Vidit planè in stercore iacentes, vermibus secantes, vlcerebus plenos, febri, & fame laborantes, omne morbi genus habentes. Nam, & febris molestabat, ea quippe est mala concupiscentiæ, & inflammationes premebant, hoc enim est arrogantia: & vehemens fames obtinuerat: istud namque est avaritia, & putredines vndique; nam hoc est fornicatio: Et multa deformitas, hoc scilicet est malitia, molestus quidam, & grauissimus morbus.]

Chrysostomus ad Philipp. c. 3. in sensu moralis.

Tales vidit, neque nos filios perduelles esse ignorauit, imò potius, qui omnium est cognitor, manifestè cognouit. Et tamen non aduersatus est nos, non abominatus, non dedignatus, non execratus, sed miseratione tactus, erexit iacentes, excitauit dormientes, ad sanam mentem reduxit errantes, & in aulam regiam, hoc est, in religionem malè meritis introduxit. Nec immeritò religio aula summi regis vocata est. Nam sicut Hierosolymis, quæ ciuitas Dei erat, populo Israelitarum, & colentium Deum attributa, templum erat exadificatum, in quo Deus specialibus cæremonijs colebatur, & hostijs, ac sacrificijs placabatur: ita in Ecclesia, modò religiose vitæ status in monte sanctæ perfectionis; tamquam aula quædam regis, & templum Domini extractus est, in quo

speciali



Gen. 28.  
16.17.

speciali cura, & priuatis quibusdā sanctarum actionum generibus adoratur, & colitur. Quis videns in sancta religione Angelos ascendentes; & descendentes id est, viros perfectos, iam contemplationem sitientes, iam ad actionem properantes, non clamet cum sancto Patriarcha Iacobi: Verè Dominus est in loco isto, quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli: [In hanc itaque domum, in hanc aulam, nos Dominus verè pius, & benignus adduxit, in qua fletibus, & lacrymis curauit agros, virtutibus tamquam indumentis vestiuit nudos, donis & charismatibus, tamquam gemmis pretiosis ditauit pauperes, Sacramentorum frequentia cibauit famelicos, cælestibus consolationibus refocillauit sicibundos; lumine diuinitus indito illuminauit cæcos; voce grandi inspirationum suarum, excitauit surdos; subsidiis diuinæ gratiæ roborauit debiles, & mutans corda nostra, & mores pristinos tollens, nouosque & spirituales inducens; viles & fugitiuos seruos extulit, & adoptauit in filios. Impleturque spiritualiter illud Osee: Et erit in loco, vbi dicitur eis: Non populus meus vos, dicitur eis: Filij Dei viuentis.] Nam peccatis irretiti, & iniquitatibus maculati, & serui Diaboli effecti eramus: non populus Dei; nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, ab illo statim filiorum accepimus, & nomen hoc honorabile filij supra omne meritum adepti sumus.

Osee. 10.

Ad Rom.  
6.22.

Nec tamen in hoc beneficio finitæ sunt misericordie Dei, sed animas nostras in charissimas spõsas admittit, ex quibus, non vnum, aut duos, sed innumerabiles filios generat, omnes scilicet illos, qui, aut nostro exemplo, aut doctrina conuersi virtutem colunt, vitia derelinquunt: Hæc omnia leuiter tantum exposita, & latius in sequentibus explicanda, religiosi à Domino beneficia recipiunt, & ab his miseriis, quæ diximus, liberantur. Quid mirum si tantorum bonorum commemoratione excitati, & tantorum beneficiorum pondere pressi, Deo famulari cupiant, cuius gratia tam ineffabilibus bonis donati sunt? Ista ergo mala sæculi, quæ euasimus, & hæc bona religiosæ vitæ, quæ possidemus, sunt in hac prima huius operis tractatione prælibada, vt his tamquam firmis ac solidis lapidibus fundamentum nostri operis faciamus, & tantis impediis à Domino factis in vsum nostrum, diligenti meditatione perpenalis, ad vitam spiritualem, quam colendam in ingressu religionis suscepimus, & ad eius perfectionem animemur.

Hieronymus  
Platus lib. 1.  
de bono  
status religiosi.

Et quidem hoc argumentum charissimus frater noster Hieronymus Platus (quem non ex facie, sed ex virtute cognouimus) paucis abhinc annis, non solum deuotè, sed copiosè satis, & luculenter tribus editis libris disputauit. Nec tamen ob id putamus nos actum agere, si eandem materiam, non ex professo, sed leuiter tangendam, suscipiamus, prout ad finem nostræ tractationis necessarium esse cognouimus. Nam si Augustinus Ioannè, & Dauidicos psalmos exposuit; si Gregorius sancti Iob profunditates enodauit: si Ambrosius opera creationis, & mysteria Luca detexit; si Hieronymus Prophetas, tam maiores, quàm minores explicauit: si Chryostomus Pauli Epistolas est supra captum humanum interpretatus; si alij Sæcti Patres, alia vtriusque Testamenti volumina, Deo inspirante, declarauerunt; non propterea inutilis est labor illorū parum, qui illos sequuti in idem studium, ac operam incubuerunt. Quia à prioribus omnia addiderunt, obscura exposuerunt, diffusa contraxerunt, minus certa probabiliora reddiderunt, & alia methodo rem eandem inculcantes ingenijs rudioribus laborauerunt. Ita & nos, si argu-

mentum ab alio expositum tractaremus, non ob id studium nostrum inutile esset, aut infructuosum, si quædam addentes, & alia aliter exponentes, & veluti ex eadē materia, ex eisdem scilicet lignis, & lapidibus aliam domum fabricantes, nouum opus cuderemus, vt in laudem status religiosi posteris elaboratum relinquamus. Præsertim cum præsumptione non careat velle omnino noua in lucem emittere, cum scriptum sit: Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est, iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.]

Ecclef. 1.  
10.

Nec debuimus ea silentio præterire, quæ disposueramus antequam libri isti de bono statu religiosi in nostras manus venirent, vt essent huius nostri laboris exordium. Sed re vera longe aliud est nostri operis institutum, quàm illius nostri fratris dilecti, quem non solum magno amore profequimur, verum etiam ob indicium suæ excellentis virtutis, atque de rebus spiritualibus sapientiæ, magna reuerentia suspicimus. Ille enim de bono religiosæ vitæ ex professo disputauit, nos in exordio huius longissimi operis, eiusdem vitæ dona tamquam fundamenta, locamus, ne in lubrico ac instabili loco, tanti operis moles assurgat. Ille omnia nostri status bona enucleare voluit; nos ea sola, quæ scopo operis nostri sunt necessaria enotare curamus. Ille in hoc totus positus fuit, vt vitam religiosam laudaret, & non tamquam verbosus Rhetor, sed vt rerum spiritualium valdè peritus, extolleret: nos huius vitæ præstantiam tractamus, vt quanta sit in nobis obligatio, contemnendi mundum, & sanctam perfectionem amplectendi, commemoremus. Ille tandem, vt magnus vir nullis adminiculis, sed proprio Marte (vt aiunt) suum opus digessit, nos, vt pusilli, & rudes, alterius dictis nitimur, alterius sapientiæ sustentamur. Volumus enim in hac tractatione sanctum Ezechielem Prophetam, ducem, & antesignanum nobis proponere, qui in sui vaticinij capite decimo sexto, sub typo Hierosolymæ, mala sæculi, & bona status religiosi elegantissimè videtur adumbrare. Eius ergo verba in priori parte illius capituli scripta tropologicè interpretabimur, obnixè Dominum deprecantes, vt sicut illa, quæ exposaturi sumus, nobis optimè congruant, ita quæ inexplicata reliquimus ab eo loco. Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo:] & reliqua, quæ sequuntur minimè nobis conueniant. Quod sine dubio consequemur, si viam virtutis, ac perfectionis semitas coluerimus: sin minus, sicut Deum sentiemus in primis verbis, quæ exponimus, suorum beneficiorum commemoratorem, & nostri status laudatorem, ita in sequentibus, quæ reliquimus, habebimus cum nostra inertie acrem obiurgatorem. Sed iam ad opus nos accingamus.

Ecc. 16.  
15.

De miseris sæculi, à quibus per vitam  
religiosam sumus liberati.

CAPIT III.

**H**IEROSOLYMAM illam terrestrem typum fuisse non solum Ecclesiæ, quæ in cælis triumphat, & in terris militat, sed etiam animæ nostræ ad vitam spiritualem vocatæ, nemo est, qui ambigat. Hoc vtriusque fœderis pagina, hoc & sanctorum Patrum testatur auctoritas. Anima enim iusta est illa spiritualis Hierosolyma ad cuius cor præcipit dominus, vt loquamur, & aduocemus eam: quoniã completa est malitia eius, & dimissa est iniquitas illius.] Et illa, de qua alio loco scriptum est:

Isa. 40.  
2.



Zach. 12. 3.

Luce. 19. 42.

Orige. lib. in Exach.

Hiero. lib. 2. in Zach. char. c. 8.

Cyriil. lib. 1. in Isaiã ora. 1. ad c. 1. in iud. Et de reliquitur filia Sion.

Isaiã 52. 1. Ps. 86. 3.

Ps. 47. 9.

Matth. 5. 35.

Psal. 107. 11.

Treno. 2. 15.

Isa. 26. 1.

Ezech. 16. 3.

In die illa ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes, qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur. Quoniam demones suas vites in huius anime persequutione ostentantes, & eã tamquã lapidem ad ludam expositum iactantes inaniter, fatigantur, quia Dominus refugium in tribulatione eam tuetur, atque defendit. Anima verò peccatrix est illa eadem ciuitas, quam videns Dominus fleuit super illam, dicens, quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quã ad pacem tibi. Digna quidem, quam luceant vniuersi, siquidem Dominus ipse maiestatis super eius calamitatem dignatus est flere. Digna cuius omnes misereantur, quandoquidem tam cæca est, vt tempus sibi datum ad pacem & felicitatem assequendam, ignoret.

Has duas animas, iustam & peccatricem, præsignasse Hierosolymam, docet Origenes, in hunc modum scribens; Omnes, qui didicimus diuinas Scripturas, siue bene, siue male viuamus, Hierusalem sumus: si male viuimus illa Hierusalem, quã cruciatibus punitur, & sustinet quatuor vlciones, si bene, illa Hierusalem quã in Dei sinu requiescit. Et consentit Hieronymus, ita dicens: Cæterum nulli dubium est Sion, & Hierusalem speculam, & visionem pacis posse accipi animas fidelium, quibus cum peccauerint, iratus Dominus tradet eas captiuitati, vt quã Deum per bona prosperãque non senserant, per mala sentiant & aduersa. Cumque egerint penitentiam, reuertetur Dominus ad Sion, & habitabit in medio Hierusalem. Et in quibus antea regnabant vitiorum, peccatorumque mædacia, postea Christus veritas commorabitur. Quin & Cyrillus sub nomine Sion, de eadem ciuitate loquens, sic ait, Sciendum præterea, hominis animam derelinqui à Deo multifariam: nisi præscripta rectè exequatur, & Domini oraculis ceruicis submittat, pietatisque fractus patriat. Etenim si quis nostrum ab initio probus fuerit, si nuncupatus filius, aut filia Dei, si etiam Sion, hoc est specula, extiterit, nimirum animo excelso, & mente purissima mytheria intuenste, ac considerante, si verò deinde, quã fas non est perpetrare, & sanctum Israël exacerbare conspiciatur, ab illo deseretur, ac velut incultodita vinea prodetur Satanae, tradetur carnis affectibus, omnibus præceptis vacuus prælatifque vitã instituendã, ac conseruationis decoribus, nudus omnibus onustus malis efficietur.

Anima igitur est illa Hierosolyma, quã visio geminã pacis interpretatur, quia in eius medio Christus pax nostra, nunc per fidem cognoscitur, & in futura vita per speciem videbitur. Hæc est ciuitas sancta, ab auctore sanctitatis à peccatis emundata, ciuitas Dei summi, ab eo qui omnium est creator & rector optimè gubernata: ciuitas Domini virtutum, à regè militiã cælestis angelicis spiritibus eã custodientibus, tamquam militibus cincta: ciuitas regis magni, ab eo qui omnibus præest in suum domicilium electa. Hæc est ciuitas munita, quam Sanctorum auxilia & deprecationes muniunt: Vrbs perfecti decoris & gaudium vniuersæ terræ: de cuius conuersatione omnes terræ viuientium habitatores, exultant. Tandem hæc est filia Sion, quia eam supremã illa Sion ciuitas cælestis protegit, & dilectissimam filiam agnoscit.

Hanc ergo Hierosolymam putamus Dominum spiritualiter alloqui, cum Ezechiel ait: Hæc dicit Dominus Hierusalem. Ac si diceret, verba, quã subiungam, Domini sunt, electæ ciuitati suã, dilectæ anime per aures spirituales insula. Quomodo autem anima attentè non audiat, quã Dominus creator, & fundator eius dignatur proprio ore docere, & ad eam

A eruendam digito Spiritus sancti conscribere? Serui humiliter iussa dominorum suorum aure percipiunt, filij patrum documenta magni pendunt, sponsæ voces comparium suorum amãter auscultant, quid ni attentè humiliter, & amãter audiat anima eius, quem Dominum veneratur, patrem intuetur, & dulcissimum sponsum amplectitur? Cuius verba, siue præterita mala commemorent, siue præsentia bona referant, semper amorem sonant, misericordiam prædicant, & opera bona in grati animi significationem expetunt.

Dicebas, o anima, non vt illi antiqui Israëlita: qui animam mancipiorum conceperant: Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Sed vt Samuel, qui Spiritu filiorum hauserat: Loquere, Domine, quia audit seruus tuus. Ecce iam loquitur Dominus tuus: Nam hæc dicit Dominus Hierusalem. Audi loquentem mala tua, & bona sua. Audi proferentem miseras tuas, & miserationes suas. Audi quã ignominiosa ex Adamo primo parente iure hæreditario recepsisti, & quã gloriosa ex secundo Adamo nostri generis restitauratore habuisti. Audi non Mosem populi ingratitude, & peccata, ac Dei beneficia tonantes, sed Dominum maiestatis, tuam ipsius calamitatẽ, & suã erga te benignitatem prædicantem; quoniam hæc dicit Dominus Hierusalem; Recense mala tua, vt te ipsam agnoscas, te ipsam cõtemnas, & tẽpus in sæculo malè expensum deplots: & refert bona sua, vt ea, attentã meditatione consideres, vt ea in summo pretio habeas, & de eorũ felici possessione lateris.

C Cõmemorat simul bona, & mala, vt si in die malorum non immemor fuisti bonorum, & ideo ad ea possidenda venisti; in die bonorum memor quoque sis malorum, & iterum, aut corpore, aut corde non redeas ad ea quã prudenter effagisti. Commemorat simul bona, & mala, vt timore, & amore te ipsam induas, & pretiosa veste ex his duobus affectibus texta tuam nuditatem circundes. Bona simul & mala ob oculos ponit, vt hæc iuxta tanta bona posita fædiora appareant, & illa cum tantis malis collata, magis eluceant. Tandem mala sæculi, & bona religionis inculcat, vt illa quotidie magis odias, hæc singulis momentis magis diligas, & ad vitã spiritualis amorem, quam tantorum beneficiorum cumulus instantè postulat, te ipsam accingas.

D Quid ergo dicit Dominus Hierusalem? Radix (inquit) tua, & generatio tua de terra Chanaan. Est ac si dixisset, Considera o homo, non iam dignitatem, sed vilitatem tuam, expede seridè quã patria te tulit, qui parentes te genuerunt, quã miseria educatus es, in quanta pericula, & calamitates proiectus, & inde incõmoda sæculi, & pericula mundani status elicies. Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Hæc est patria, hæc natalis sedes, quã te aluit, infelix & miserum sæculum præfiguratum in terra Chanaan. Non es creatus o homo in cælo empyreo, vt angeli creati sunt, non es productus in loco deliciarum, vt primus parẽs nostri generis, qui à Deo ex limo terræ prope paradysum factus est, sed natus es in sæculo, in loco tribulorũ & spinarum, in arce hostium, qui rebellant cõtra Deum, significata in terra Chanaan.

E Hoc enim nomẽ (vt Ambrosius interpretatur) idem est quod turbatio, siue cõmorio. Quid autem est sæculum, nisi locus commotionis, fons inquietudinis, seminariũ turbationis? Locus commotionis, vbi homo quasi flos egreditur, egessus autè non permanet, sed statim cõteritur & fugit velut vmbra; quã mox nullo sui vestigio derelicto abit, & euanescit, & nõquam in eodem statu permanet. Fons inquietudinis à quo tot curæ manant, tot sollicitudines rerum

Exod. 20. 19. 1. Reg. 3. 9.

Ezech. 16. 3.

Amb. lib. de Ioe & arca, c. 28. & 32.

Iob. 14. 2.



temporalium fluunt, tot imbecillitates, & corporis morbi procedunt, quæ animam cruciât, & pacatum esse non sinunt. Seminarium turbationis, nullus enim est amator mundi, qui aut desideris eorû, quæ nõ habet, aut timore amittendi, quæ habet, nõ perturbetur.

Quid est sæculum nisi vrbs iniquitatis, in qua regnat inuidia, & scilicet crudelitas, dominatur ambitio, imperat libido, & vitia vniuersa requiem inueniunt. Vt enim est apud Oseam: Non est veritas, & non est misericordia, & nõ est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Dum quotidie homines peccata peccatis adiungunt, & nouis superuenientibus iniquitatibus, antiquas reddunt grauiores. Quis est sæculum, nisi rota quadam volubilis omnia mouens, vniuersa consumens & conterens, in qua nihil est quod stabile & constans perseveret. Quid miserabilis mundo (inquit Gregorius) cuius fructus ruina est? Ad hoc crescit vt cadat, ad hoc cadit, vt germinet. ad hoc germinat, vt quæcumque germinauerit claudibus consumat. Hodie quemdam honoribus extollit, postera die ignominia, & insania deiecit. Iam opibus, ac rerum temporalium fortunis auget, statim verò penuria, ac miserabili mendicitate premit. Nunc amicorum & familiarum turbis circumdat, & in noctu oculi solitarii, & inglorium derelinquit.

Ostendat hoc nobis in se ipso illud admirabile exemplum patientiæ Iob, cuius aspectum ita vniuersi suscipiebant, vt ad eius ingressum iuuenes absconderentur, & senes assurgentes starent, principes cessarent loqui, & vt aduenientis sententiam attentissime audirent, digitum superponebant ori suo. Loquente illo vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Repetere tamen à tanta profperitate deturbatus est, & in sterquilinum deiectus: & ad mutationem status, aliorum opinio & existimatio mutatur. Nunc autem (inquit) deridet me iuniores tempore, quorum nõ dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni. In eorum canticum versus sum, & factus sum illis in prouerbiu. Quid tandem est sæculum, nisi periculosum mare in quo passioem furit sæua tempestas, curatum, ac sollicitudinum fluctus strident, tentationum, & periculorum, tam animæ, quam corporis vnda demergunt, adeo, vt nullus ferè sit, qui omnino illæsus euadat. In quam sententiã optimè Augustinus. Plena sunt omnia periculis, plena laqueis, incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucre, dâna deterrant. Amare sunt obloquendi lingua, nec semper veraciter sunt ora laudantium. Inde scilicet odium, hinc decipit mendax officiu, vt facilius sit vitare discordem, quàm declinare fallacem. Hæc Augustinus, & optimè. Nullus enim secularis status est, qui nõ innumerabilibus periculis sit expositus, nullu negotiu, quod non sit mille laqueis circumdatum. Visa, immoderatas cupiditates augent, audita, cor ad malum emolliunt, & ad leges diuinas conculcandas alliciunt. Non est qui errantem corrigat, qui nutantem fulciat, qui ruentem detineat.

In hoc igitur sæculo, in hac Chanaanorum terra, nati sumus, in qua mali pariter, & boni miserias, & calamitates patimur, quia hæc patria nostra insipientia, & cæcitate plena, tam infidelis est, vt nec malis & peccatoribus suis amicis faueat, & tam iniqua, vt nec bonos laudet, nec iustos honoret, nec virtutibus deferat, imò rideat, subannet, atque cõtemnat. Mali his bonis sensibilibus, quasi furtim perfruunt, & sicut illi filius prodigus, qui consumpsit substantiam suam viuendo luxuriosè, nec porcorum siliquis, id est

obscænis voluptatibus faciatur. In vltionem autem delictorum suorum tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Et tandem post paululum, quos mundus fatigatos in via iniquitatis tenuit, quos Demon tanquam vilissima mancipia tractauit, quos Deus tanquam hostes propriæ cõscientiæ increpationibus afflixit, perpetuus gehennæ cruciatus absorbet.

Vidi eos (inquit sanctus Iob) qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt, eos flante Deo, perisse, & spiritu iræ eius esse consuptos. Boni autem, & qui pie volunt viuere in Christo, quas persecutiones nõ patiuntur. Isti sunt, qui circumeuertunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. Isti sunt, qui ex co, quod non sunt de mudo, propterea odit eos mudo. Isti sunt, quos mundani conculcant, & pretereunt, eorumque bona, si quæ habent ad subleuandã necessitatem, diripiunt. Nam (vt inquit Isaias) Qui recessit à malo, prædæ patuit. Qualis igitur est patria, quæ omnes suos ciues affluit: Qualis illa, quæ nec amicis, nec inimicis pepercit: Qualis illa, quæ omnes ex nudos, & inglorios exculsit: Verè terra Chanaã, quæ deuorat habitatores suos. O igitur nequã sæculum, quàm insipiens est, qui te amat, quàm temerarius, qui te nõ horret, quàm sui oblitus, qui tuos laqueos non fugit, quàm inuerecudus, qui inter tot mendacia, simulationes & vitia se natum, atque educatũ esse nõ erubescit! O munde immunde, vt Beatus Augustinus hunc locum perficiat, qui homines illaqueare nõ desinit, quiescere non permittit, rapere omnes appetit, occidere omnes querit; Vã qui tibi credit; Beatus qui tibi resistit; sed beator, qui à te illæsus recedit. O munde proditor, bona cuncta promittis, sed cuncta mala proferis; promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mærorẽ, promittis quietem, sed ecce turbatio, promittis florem, sed citò vane scit; promittis stare, sed citò recedis. Non ergo es diligendus, quoniam omnino transis, & concupiscentia tua, vel vt fumus euanescit. Sapietèr ergo faciunt, qui istam terram sanè miserem deserunt, qui à patria ista proditrice suorum ciuiũ aufugiunt, & aliam ciuitatem fideliozem, scilicet sanctam religionem in matrem eligunt, cuius est omnes suos à prædictis malis terræ Chanaã liberare, & veris diuitiis, solidis honoribus, ac purissimis voluptatibus prosequi, & ad illam ciuitatem viuentium, quæ in calis est, meritum diuites, & virtutibus abundantes, destinare.

De cecitate eorum, qui in seculo nos erudiebant.

C A P V T I V.

**H**æc patria inconstans, & mutabilis nos tulit; hæc misera terra nos infelices aluit, atque edicauit. Sed quia nulla est ciuitas adeo vilis, & abiecta, quam nõ incolat primarius aliquis vir, qui principatum gerens, si velut caput reipublicæ, & dominus aliorum, ne putes, o homo, hæc tibi felicitatem in sæculo in patria scilicet infideli contigisse, parentesque nobiles, & illustres te fuisse sortitum, audi quod sequitur. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. Patres quidem nostri sunt, non tantum, qui corporaliter generant, sed etiam, qui spiritualiter procreant, qui mores in nos, consuetudinesque aut bonas, aut deprauatas transfundunt. Quod si non ita esset, non dixisset

Rom. 1.  
14.

Iob. 4. 8.

Hebr. 11.  
37.

Ioan. 5.  
20.

Isaia 59.  
15.

Numer.  
13-33.

Aug. ser.  
31. ad  
frat. in  
erem.

Osee 4. 1.  
2.

Greg. lib.  
1. in Eua-  
gel.

Iob. 29. 8.

Iob. 30. 1.

Aug. Sab.  
b. post do-  
minic.  
quinquag.  
ser. 2.



*Ioann. 8.*  
44. Dominus filios Abraham carnales alloquens: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere. ] Et Paulus iustorum signum aliquod tribuens: Qui autē spiritu Dei agitur, ij sunt filij Dei.]

*Rom. 8.*  
14. Diabolum profectō patrem agnoscit, quicūque ille sit, siue nobilis, siue ignobilis, qui eius desideria admittit, cōsilia suscipit, iussa, atque imperata custodit. Sicut e contrariō ille filius Dei putandus est, qui Dei spiritū hauit, & in se ipso imaginem virtutis expressit. Præclare enim dixit Basilius: Etenim & is filius est Altissimi, qui studio exercendæ virtutis Deo se familiarē reddidit, & amicū, neque hic iam, vt homo moritur, in se cūm habeat viuētē Deum.] Et latius Augustinus, qui sint filij Dei, & qui filij Diaboli explicans, ait; Filij Dei sunt homines renouati ad eius imaginem, & ei similes facti, vsque ad dilectionem inimici. Sicut Dominus dicit, diligere nos debere inimicos nostros, vt similes simus patri nostro, qui in cælis est. Quod in potestate nostra ab ipso Deo esse positum, docet Scriptura, cūm dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. ] Filij autem Diaboli dicuntur homines cūm imitantur eius impiam superbiam, & à luce, atque castitudine decidūt sapientia, & non credunt veritati. ] Pulchrè quidem hæc: si enim pater est, qui vitam istam mortalem, aut mortem istam vitalem tribuit, qua sub velamine functionum vitæ, ad mortem tendimus; cur non erit pater, qui vitam spirituales suppeditat? qui actiones vitiorum mortiferas, aut virtutum verè vitales impertit? quibus, aut vitam miseram, aut verè felicem, & numquam peritiam comparamus?

Attentè igitur consideremus, qui patres nos in saculo spiritualiter genuerunt, qui viuendi regulam tradiderunt, qui mores suos, & vitia inueterata in mentes nostras intulerunt: diligenter inspiciamus, quorum suspiciebamur vitam, sequebamur opera, Admittebam⁹ opiniones, & planè videbimus à patre Amorrhæo, & matre Chetæa, nos vitæ moralis vsuram suscepisse. Quis namque est Amorrhæus, nisi rebellis: & quæ Chetæa, nisi insaniens? Sed nos in saculo illos magistros, illos antesignanos habuimus, qui aduersus Deum quotidie rebellabant, & furore desideriorum suorum mirū in modum insaniebant. Vis ne manifestissime videre hoc ita fuisse. Aduerte igitur, qui ante oculos tuos iugiter obuersione: illi profectō, qui honorem suum, diuino honori anteponebant, & vilissimum lucrum, ac turpem libidinem, Dei iussis sanctissimis præstabiliorem putabant.

Aduerte quos felices & beatos existimabas, nisi diuites, gulæ & lasciuia deditos, purpura, serico, & gemmis ornatos. Hæc tua cupiditas hoc tuum studium erat, si talis aliquando esses, quales illi esse tibi videbantur. Nec timebas sententiam Saluatoris. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. ] Nec illud, quod alio loco dixit: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram: Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. ] Nec tandem illā diuitis calamitatem, qui eum indueretur purpura & bysso, & epularetur quotidie splendide, post mortem sepultus est in inferno: quo loco tantam indigentiam patiebatur, vt nec haberet guttam aquæ, cuius refrigerio leuiter aspersus, cruciatuum vim paulatim remitteret. Considera, quos imitaberis, sine dubio superbos, & inflatos, qui ceteros contemnebant, ambitiosos, qui reipublicæ dignitates procaciter appetebant, & inuerecunde postulabant, avaros, quorum felicitas aurum est & argentum, & alia diuitiæ peritura, Luxuriosos, quorum Deus venter est, & gloria in

A confusione ipsorum: ] Qui tamquam equi refractarij, omni metu seposito, per scopulos concupiscentiarum suarum præcipientes ruunt.

Vide tandem, quos tibi in magistros, & præceptores asciscibas, nihil homines insipientissimos, qui te ad vindictas, ad furta, ad libidines, & ad omne flagitij genus animabant. Horum doctrina hæc est. Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter, vino pretioso, & vnguentis non impleamus, & nõ prætereant nos flos temporis, coronemus nos rosas antequam marcescant; nullum paratum sit, quod nõ pertranseat luxuria nostra, & cætera. ] Si ergo istorum mores imbibimus, peccata dileximus, & iniquitatum imitationem suscepimus, non dubium, quin isti erant nostri patres, à quibus secundum spiritum geniti sumus.

B Aliud autem docuerunt nos, si non tam miserabile, sed certè valdè intolerabile, illud verò est, abiectionis occupationibus vacare. & in rebus parui momenti vitam infumere. Solent patres artes, aut ministerium, quo victum queritabant, suis posteris relinquere, & tamquam iure hæreditario ad filios, & nepotes transmittere. Quæ igitur erat ars, quam non solum magistri vitæ nostræ exercebant, sed etiam carnales patres, qui nobis vitæ carnis tribuerunt, tum desiderio, tum perpetua occupatione tractabant? Certè non alia nisi opes conquirere, & aut necessaria, aut etiam superflua in vsum corporis cōparare. Hæc cogitabant, hæc exoptabant, pro his laborabant, & nulli, nõ dico labori, sed nec discrimini propriæ salutis parcebāt.

C Quorum in his rebus adificandis sollicitudinem. Innocentius Papa hac oratione describit; Currunt, & discurrunt mortales per sepes, & semitas, ascendunt montes, transeunt colles, transuolant rupes, peruolant Alpes, transgrediuntur foueas, ingrediuntur cauernas, rimantur viscera terræ, profunda maris, incerta fluminis, opaca nemoris, inuia solitudinis; exponunt se ventis, & ruinis & præcipitijs, imbribus, tonitruis, fulminibus, fluctibus, fluminibus, & procellis. Metalla cudent, & conflant; lapides sculpunt, & poliunt, ligna succidunt, & dolant, telas ordiunt, & texunt, vestes incidunt, & consuunt, ædificant domos, plantant hortos, excolūt agros, pastinant vineas, succedunt clibanos, extruunt molendina, piscantur, venantur, & acupantur: Meditantur, & cogitant, consiliantur, & ordiant, querelantur, & litigant, diripiunt, & furantur, decipiunt, & mercantur, contendunt & præliantur, & innumera talia, vt opes cogerant, vt quæstus multiplicent, vt lucra sectentur, vt honores acquirant, vt dignitates extollant, vt potestates extendant; & hæc quoque labor, & mentis afflictio. Sic Innocentius, quondam Lotharius, & bene quidem. Nam hic est finis omnium curarum, atque laborum hominum; perituras diuitias acquirere, & possidere, & æterna salutis adeptionem neque in memoriam adducere.

D Itam nos artem ab illis didicimus, hanc à patribus nostris exercendam, & tractandam accepimus, in hanc incumbebamus in quemcumque statum saculi huius ascenderimus. Pauperes enim, & ignobiles has vilissimas occupationes sectari quis dubitet? Cū illis necessaria omninò sint, vt vitam agant, filios alant, familiam, seruosque sustentent. Diuites autem, & nobiles, imò & ipsos potentissimos reges eisdem curis subiacere, potentissimi Salomonis doceat auctoritas. Magnificauit (inquit) opeta mea adificauit mihi domos, & plantauit vineas, feci hortos, & pomaria, & conserui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscine aquarum, vt irrigantem syl-

E uam

Sapient. 2.  
6.

Innocentius de cō  
reptu mō  
dic. 1. 2.

Eccle. 1. 2.  
4.



uam lignorum germinantium, possedi seruos, & ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque, & magnos ouium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem. ] His omnibus, & aliis multis similibus enumeratis, quid de illis sentiat statim subiungit, dicens: Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quae fecerant manus meae, & ad labores, quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. ] O egregiam artem, quam sapientissimus mortalium, & aded illustratus à Deo, vt in hoc quod dixit, non potuerit errare, non vanam, & inutilem, sed ipsam vanitatem & inutilitatem esse cognouit! O praeclaras curas hominum, illorum scilicet, qui ad contemplandum, & amandum Deum, & ad consequendam felicitatem cōditi sunt, ea curae, quae oculum contemplationis excruciant, voluntatis amore impediunt, & ab itinere aeternitatis abducunt. O sapientissimas occupationes filiorū Adā, qui (vt inquit Oseas) argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, vt irerent. ] Si igitur istorum, non solum mores & vitia amplectebamur, verum etiā artes & curas admittebamur, & omne nostrum studium erat, rerum temporalium copiam lucrari, reipublicae dignitates ambire, & cumulandis honoribus inhaerere; Verē parentes nostri Amorrhæi, & Chetæi erant, id est, rebelles, & insani, qui & nos infamem & ignominiosam artem lucrandi opes docuerunt, & vitia, ac peccata sua, id est, insaniam & stultitiam in animos nostros transfuderunt.

Isti, o homo, dum eras in saeculo, erant patres tui, à quibus nō corporis vitam, sed animae mortem recepisti, non carnis victum, sed mentis esuriem; non statum mundanum, sed animae tuae casum, & ruinam miserabilem habuisti! Inter istos vitam agebas, qui, vt verum fatear, non tam patres, quam raptores, non tam genitores, quam calumniatores dicendi sunt, qui in opere comites & magistri sunt criminis, in poena tamen sustentatione tibi soli crimen obijciunt, qui verbo delicias, & voluptates suadent, sed re vera animae diuitias, scilicet virtutes diripiunt: Optime enim dixit Gregorius. Calumniatores recte dicere possimus omnes iniquos, non solum, qui exteriora bona rapiunt, sed etiam, qui malis suis operibus, & vitæ reprobæ exemplo, interna nostra dissipare contendunt. Illi namque ea, quae nobis extra sunt, inuadere ambiunt, isti verò nos prædari interiorius querunt. Illi amore rerum, isti non cessant odiis scire virtutum. Illi inuidet, quod habemus, isti quod viuimus. Illi studēt rapere bona exteriora, quia placent, isti fatagunt interiora bona dissipare, quia displicent. Quāto igitur morum vita à rerum distat substantia: tantò grauior calumniator est, qui malè viuendo vim nostris inferit moribus, quam qui violenter opprimendo damna ingerit rebus. ] Si hoc ita est, verē pater tuus Amorrhæus, qui nō solum in Deum, sed etiam aduersum te suum filium rebellauit: & mater tua Chetæa, quae vsque ad tui cladē, & perniciem insinuit. Quamobrem si Saul pudore afficiebatur, quia ex abiecta familia erat procreatus, vnde dicebat; Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? ] Quanta verecundia affici deberes, qui nō ex aliqua minima cognatione regni Dei processisti, sed ex familia inimicorum Christi, & eorum, qui sanctissimas eius leges proterebant, ac mandata iustissima conculcabant

\*\*\*

De intemperantia passionum, quae nos in saeculo cruciabant.

CAPVT V.



ED interdum parētes vulgares, & plebeij solent filios suos ingennē, & liberaliter educare, & honestis studiis instituire, vt quod illis nobilitas generis denegauit, optima educatio, ac vita institutio concedat. At nec istud, o religiose, in saeculo tibi cōcessum est, sed miserabiliter natus, & infeliciter educatus, huius educationis causa, mala nō minima cōtraxisti: Quae Propheta breuiter, sed grauius, & luculenter depingit. Et quando natus es (inquit) in die ortus tui nō est precibus vmbilicus tuus. ] Quis vniquam infantulus, tam omnibus humanis praedictis destitutus caruit illo, aut obstetricis, aut propriae matris beneficio, quō sibi vmbilicus praediceretur? Tu verò in die natalis tui, quando non Deo, sed mundi calamitatibus natus es, hoc tam necessarium beneficio spiritualiter caruisti. Nomine enim vmbilici, aut carnis cōcupiscentiam, cum Gregorio, & Origene, aut aliorum affectuum intemperantiam intelligimus. Quis autem in saeculo tibi libidinem, & luxuriam refecuit? Feminarum aspectus alliciebat, occasionum laquei prouocabant, amicorum exempla, & suasiones excitabant. O quoties forsitan illud Salomonis expertus es! Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuū loquetur peruersa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. ] O quoties dixisti, quod statim sequitur: Verberauerunt me, sed non dolui, (cum tamen maximè dolendum esset) traxerunt me, & ego non senti. ] Non mirum si verberibus affectus, non doleras, & ad peccati cōsensum tractus, nō sentiebas, siquidē in medio mari, id est, inter innumera pericula & incitamenta peccandi nō vigilabas, sed sopore graui depressus dormiebas. In medio enim mari dormit, (vt Gregorius ait) qui in huius mundi temptationibus positus, prouidere motus irruentium viciorum, quali imminentes vndarum cumulos negligit, & quasi clauum gubernator amittit, quando mens ad regendam nauem corporis, studium sollicitudinis perdit. ]

O quoties firmiter decreuisti vincula concupiscentiarum abrumperē, & à tua sentētia, sociorū precibus, amicorū exēplo, & occasione propinquitatis dimotos es, quae nec domo ipsa diuellebatur. Haec autem occasio tam vicina metem ad peccatum inuitans si timeatur, quid nisi turbationem, & inquietudinem? si verò non timeatur, quid nisi miserandum casum efficiat? Nāque iuxta praecipitium vadens (inquit Chrysostomus) quamuis non decedat, tremat, & saepenumero ab ipso submersus tremore decedit: ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa videns, cum timore viuat, & in ipsa labitur sapius. Etenim alienas curiosè spectans formas, quamuis non mechetur, tamen concupiuit, & iuxta Christi sentētiā factus est adulter: sapius autem ab ipsa concupiscentia & in peccata re ipsa defertur. ] Sapienter profecto peccandi occasionem cum praecipitio confert. Nam dum ei resistimus, mentem turbat, & assiduis temptationibus, tamquam iaculis, aut telis inquietat, dum autem non resistimus, sed eius importunitati subiicimur, planè miseram animam praecipitē agit, & in barathrum peccati demergit.

Quis etiam aliorum affectuum intemperantiam cohibuit? Multa quidem erant in saeculari vita, quae

affectus

Exec. 16.  
4.

Greg. 32.  
mor. c. 11.  
Orig. hom.  
6 in Ezechi.

Prou. 23.  
33.

Greg. 3 p.  
pastoralis  
admonit.  
33.

Chrys. vi.  
15 ad populum An.  
thio.

Matt. 5.  
33.

Osee 8.5.

Greg. 26.  
mor. c. 10.

1. Reg. 9.  
21.



Richardus de Sancto Victore scriptum reliquit) quomodo homo ad tenuem spirantis fauoris auram totus statim inclinatur ad gratiam, & si ex eodem ore, & sub eodem tempore ventus detractionis erumpet. statim affectum in alteram partem flectit, & modum, & in furorem vertit? Miserabile sane, imò & miserabile; nobilem illam creaturam, ad imaginem Dei creatam, & omni creaturæ prælatam; ad modicum verbum, tenuemque flatum, ad linguæ sonitum, aërisque ictum à rectitudinis suæ statu quasi violenter excuti, moxque mirum in modum huc, illucque raptari, & turbis more in vertiginem agitari.]

Sapient. 14. 11.

Iob. 1. 2. 4. Psal. 9. 3.

Leo ser. 7. in Natali Domini.

affectus istos magis accenderent, & passionibus acrius inflammarent: nihil tamen, quod tamquam bestiis indomitis frænum iniiceret. Nam verba aliorum imprudenter effusa, passionibus nutriunt, dum cor nostrum tenuissima palea leuius, & instabilis, iam ad inanem gloriam, iam ad tristitiam, iam ad iram, & indignationem traducunt. Quis namque nescit (vt Richardus de Sancto Victore scriptum reliquit) quomodo homo ad tenuem spirantis fauoris auram totus statim inclinatur ad gratiam, & si ex eodem ore, & sub eodem tempore ventus detractionis erumpet. statim affectum in alteram partem flectit, & modum, & in furorem vertit? Miserabile sane, imò & miserabile; nobilem illam creaturam, ad imaginem Dei creatam, & omni creaturæ prælatam; ad modicum verbum, tenuemque flatum, ad linguæ sonitum, aërisque ictum à rectitudinis suæ statu quasi violenter excuti, moxque mirum in modum huc, illucque raptari, & turbis more in vertiginem agitari.]

Opera quoque similiter easdem passionibus augent. Ille enim fortunam diripit, & iras exsuscitat. ille honorem & bonum nomen extenuat, & odium succendit, vnus temporalibus bonis extollitur, & inuidiam generat, alius sanguine iunctus ab statu suo cadit, & mœrore, ac tristitia nos afficit. Est, qui minas intendet, & timemus; est qui fallaciter montes aureos promittat, & leuiter speramus. Omnia, quæ oculis conspiciamus, auribus percipimus, manibus contrectamus, infantem amorem alunt, ad turpem voluptatem alliciunt. vana, & inutilia desideria multiplicat, adeo, vt aperte illud sapientis experiamur. Quod creaturæ Dei (ob nostram culpam) in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in masculam pedibus insipientium. ] Quis autem explicare sufficit, quantum hæc passionum furias mundanorum inueterata opinio perturbet, dum ignaum, & inertem existimant illum, qui data opportunitate libidini habenas non laxat, inimicum verbis amarulentis non impetit, iniuriam sibi illatam non refert, dignitates non ambit, & omnia, quæ ad luxum & splendorem sæculi faciunt, non concupiscit. Habent mundani sua iura, habent suas leges à nequam sæculo latas, & magno cunctorum statuum plausu promulgatas, diuinæ legi, & voluntati contrarias, quas tanta diligentia custodiunt, & custoditi ab omnibus volunt, vt earum transgressores verbis proscindant, murmurationibus imperant, & nullo loco quietos, & incolumes esse permittant. Qui itaque leges istas mundi non seruat, & diuinis legibus obtemperare contendit, seipsum abnegando, voluptates fugiendo, & lædentibus sibi parcendo, mirum est quantum à stultis mundi habitatoribus rideatur, & nec dignus comuni luce reputetur. Nam (vt inquit Iob) deridetur iusti simplicitas. ] E contrario verò, ait Propheta Regius; quonia laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.]

Quis tandem sufficienter intelliget Diaboli fauoris insidias? Quis affectus nostros tamquam arma sibi aptissima vsurpat, vt nos miseros proprio mucrone confodiat. Hoc enim est, quod eleganter dixit Leo Papa. Nouit cui adhibeat ætus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit, quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discuti consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas querit nocedi, vbicumque viderit studiosius occupari.]

Hæc omnia passionibus nostras vrgebant, & vt nos

iplos discerperent, acrius incitabant. Quod non erit difficile factæ paginæ exemplis ostendere. Quid enim Dauidem Regem à tanta sanctitate in tantam iniquitatem deiecit, vt propter illum blasphemaretur nomen Domini, nisi occasio potestate fulcita, & diuitiis, ac excellentia dignitatis adiuta? Vidit mulierem se lauam ex aduerso super solarium suum, quæ erat pulchra valde. Quæsiuit, quæ esset mulier, audiuit esse coniugatam, dilectam militis sui, qui tunc temporis erat in castris, & propria domo, & vxoris deliciis posthabitis, vitam pro patria, & pro honore ipsius Regis profundeabat. Nihil horum Dauidem cohibuit, & ab adulterij perpetrato re-traxit, quia occasio vehemens, & potens excecavit illum, ne foueam aspiceret, neque Dei offensam, subditi iniuriam, scandalum populi, & propria animæ mortem aduerteret. Quis Ammon ad incestum, & stuprum impulit, & ad extremum, illi ignominiosam, atque impatam mortem attulit, nisi amicorum adulationes, & noxia atque stulta consilia? Dixit enim illi Ionadab filius Semmaa: Quare sic attenuaris macie, fili Regis? ] Ac si diceret, cum filius Regis sis, nobilitate polles, opibus, & amicis abundes, & in flore tuæ ætatis consistas, non est æquum, vt curam, aut desideria te conficiant: sed tuorum famulorum obsequio, quidquid appetieris consequaris, & tuam in omnibus expleas voluntatem. Et audita tristitia ac mæroris causa, Cuba (inquit) super lectum tuum, & languorem simula, cumque venerit pater tuus vt visiter te, Thamar sororis tuæ præsentiam neque ministerium postulabis, quæ ad te venientem poteris opprimere. ] Et quis erit qui filium Regis, tot amicis, & familiaribus constitutum sceleris arguat, aut aliqua vitio, aut pœna contristerit? O dolosum amicum, o verba dulcia, sed omni felle, & absinthio amariora, quæ nutantem animarunt, ad scelus prouocarunt, & ad mortem corporis, & animæ, vt verisimile est, induxerunt! Quare iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius: ] nisi quia sacrificium Abel fratris sui Domino placuit, & oblatio sua fuit Domini gratia, & fauore priuata? Merito quidem talis oblatio Creatori displicuit, quia fructus terræ, id est, à corde tepido, & terrene emanantes continebat, & nec animum caelestibus rebus intentum, nec desiderium Deo placendi donabat.

Quare filij Iacob inuiderunt Ioseph fratri suo, & primò quidem de inferenda illi morte tractarunt, postea verò mercatoribus Madianitis vendiderunt, & in tantam calamitatem impulerunt? Quia videbant à patre tenerius, & efficacius amari, & omnia eius futuræ prosperitatis indicia æquo animo audire non poterant. Quare Antiochus radix peccati, qui iucundus erat, & dilectus in potestate sua, gaudium amisit, incomparabilem tristitiam ac mærorem incurrit, & in grauissimum languorem incidit? Quia profecto spe sua profigandi Machabæos frustratus est, nec factum est ei sicut cogitabat. Petrus lateri Saluatoris affixus timet ventum vehementem, & procellam maris, quam irridere debuerat, & ideo vani timoris, ac modicæ fidei arguitur. Paulus confidens in Epistolis Sacerdotum, & in sibi tradita ab eis potestate, spirans minatum, & cædis in Discipulos Domini, properat Damascum, vt Christi memoriam delet, & fideles omnes, aut tormentis cõficiat, aut ad patrias ceremonias reuocet, & à fide in Christum Saluatorem abducatur. Sed quia sperabat in baculo arundineo, voce Domini, ac fulgore prostratur, & quanta sit humana imbecillitas edocetur. Multa sunt alia huius generis in diuinis literis,

quibus

2. Reg. 11. 3.

2. Reg. 13. 4.

Ubidem 5.

Genes. 4. 5.

Gen. 37. 11.

1. Machab. 6. 8.

Matth. 14. 30.

A. 9. 1.



quibus euidenter apparet saeculum plenum esse laqueis, referum periculis, affluentem incitamentis passionum nostrarum, quae dentes earum exacuunt, vires augent, lacertos corroborant, ut impetu in nos facto miseram mentem discernant, salutem dilanent. O quot sunt occasiones, quae fortissimos quosque prosternant, quot amici, & sodales, qui prudentes etiam, & sapientes decipiant, quot fauores, & prosperitates aliorum, quae videntes, & audientes contristent; quot vanae spes, quae rerum mundanarum amatores effrant, quot inanes timores, qui paruulos, & imbecilles deiciant! Ibi sane trepidauerunt timore, ubi non erat timor. ] Corporis aduersitates, & afflictiones metuunt, & cruciatus ingentes, qui ab effrenatis passionibus manant, non horrent. Non inuenisti ergo o homo, in saeculo, qui in die ortus tui vmbilicum animi praecideret, id est, carnis concupiscentiam, ac passionum effractionem refecaret.

De difficultate verae poenitentiae in saeculo faciendae.

CAPVT VI.



X inordinatis passionibus, tamquam ex fontibus innumera peccata fluebant, & iniquitates manabant, quae animam nostram foedam & deformem reddebant. Maneret tamen nobis aliqua consolatio si in saeculo fuisset facile ad mentem redire, & maculas iniquitatum diluere. Na morbum eo leuiorem iudicamus, quod facilius est illum pellere, & pristinam sanitatem recuperare: sed non ita est. Quare Dominus animam alloquens, postquam dixit: Non est praecisus vmbilicus tuus, ] id est, abundantia, & intemperantia passionum non est amputata, statim addit: Et aqua non es lota in salutem. ] Haec aqua salutis, vel in salutem lauans, vera poenitentia est. Idem enim antiqui Patres eam secundum baptismum appellarunt, quoniam sicut ille ad delendam maculam originalis peccati est a Domino donatus, ita haec ad diluendas foeditates propriis actibus, post baptismum contractas, est instituta. Haec est aqua post vnam baptismatis salutem fidelibus afferens, quoniam de fontibus Saluatoris emanat, secundum illud, quod legimus in Isaia, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. ] Saluator hic non est alius quam Christus Dominus, quem Pater angeli ministerio vocauit I E S U S, id est, salutem, vel saluatorem, ut nomen ipsum cum humani generis liberatorem ostenderet. Vnde Hieronymus hunc Isaiae locum interpretans, sic ait: Que supra Emmanuel, deinde spolia detrahe, festina praedari, & reliquis appellat nominibus, ne videretur alter esse praeter eum, quem Gabriel virgini nunciavit, dicens: Et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum: nunc vocat Saluatorem, & de eius fontibus aquas praedicat hauriendas ]

Fontes autem Christi sunt vulnera eius, sicut docet Ambrosius. Nullum (inquit) fetorem poenitentiae, sed odorem gratiae vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius, sicut hominum caeterorum: sed fons vitae scaturiuit aeternae, ut Scriptura nos edocet, dicens: Et saliet aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris. Aqua vero ex istis fontibus fluentes, sacramenta sunt, sed praecipue baptismus, & poenitentia, ille ad diluendum peccatum paruulorum per originem tractum, vel etiam pec-

cata infidelium, quando iam adulti ad Ecclesiam veniunt: ista ad abstergenda peccata fidelium propriis actibus perpetrata. De vera aqua salutis, aqua Iordanis (quod interpretatur flumen iudicij) in qua Naamam, id est, pulcher, vel affectus pulchritudine, septies, hoc est, perfecte lauatur, ut a peccatorum lepra mundetur. Aqua maris rubri, in qua omnes Aegyptij pereunt, id est iniquitates nostrae subruuntur. Et quid mirum si ista aqua peccata destruat, cum in ea ille, qui solus delet peccata populi, Saluator adueniat. In mari enim, Domine, via tua, & semita tua in aquis multis. ] In hoc mari spatiofo, quod (ut inquit Gregorius) cadauera reiecit, & corpora viua conseruat, adest Dominus, peccata mactans, & e cordibus suorum expellens, eosque multis contritionis gemitibus sanans, atque viuificans. Pulchre enim dixit sanctus Ephrem Syrus: Hic medicus caelestis, & bonus Deus, lacrymis, atque gemitibus vulnera curat. ] Accede peccator ad bonum hunc medicum, & pro optimo medicamento lacrymas offer: sic enim vult caelestis medicus vnumquemque suis sanare lacrymis. Nullius est negotij lacrymis curari; hoc enim medicamentum non strictius deuincit, neque exacerbat vulnus, sed breui te compendio & sine molestia sanat. Tuas expectat medicus videre lacrymas accede, & noli timere. Ostende & vulnus, & pro medicamento lacrymas, ac gemitus offer.

In ista aqua lacrymarum, ac poenitentiae, perit superbia, interit inuidia, extinguitur flamma luxuriae, & vniuersa peccata destruantur. Quare Scriptura inquit: Poenitemini igitur, ut deleantur peccata vestra. ] Et rursum: Poenitentiam agite, appropinquauit enim regnum caelorum. ] Et, nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. ] Et, si impius egerit poenitentiam omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. ] Et tandem: sine sanguinis effusione, id est, sine peccatorum abiectione, non fit remissio. ] Quisquis enim (ut Cassianus ait) ab huius sanguinis effusione gladium spiritus, quod est verbum Dei, voluerit inhibere, absque dubio illa Hieremiae prophetae maledictione plectetur. Nam maledictus (inquit) qui prohibet gladium suum a sanguine. Hic namque est gladius, qui illum noxium sanguinem, quo animatur materia peccatorum, salubriter fundens, quidquid repererit in membris nostris carnale, terrenum conuertit, refecit, & abscondit, ac mortificatos vitios, viuere Deo, & spiritualibus facit vigere virtutibus. ] Haec igitur est aqua salutis, quae animam nostram sanat, & a contagio peccatorum in gratia salutem traducit.

Sed quam difficile sit in saeculo hac aqua mundari, & vera poenitentia lauari, tum experientia, tum ratio aperta demonstrat. Omnes quidem fideles aqua ista diluuntur, quia quotannis ex Ecclesia praecipio, aut etiam frequentius ex propria deuotione ad poenitentiam accedunt, sed nescio, an omnes lauentur ad salutem. Sicut enim dixit Origenes, doctor antiquissimus, atque grauissimus, Qui accepimus gratiam baptismi, in nomine Christi loti sumus, sed nescio quis lotus sit in salutem, id est, ita ut vltimam gloriae salutem consequatur. Ita dicere possumus, omnes, qui accepimus gratiam poenitentiae, loti sumus, nescio autem quis vsque ad salutem lauetur, hoc est vsque ad consequendam Dei gratiam a peccatis mundetur. Ille sane poenitentiae susceptione vsque ad salutem lauatur, qui verè supra omne sibi infestum, & detestabile peccata odit, qui tamquam de maximo malo (sicut re vera est) de suis iniquitatibus dolet, qui firmiter, & constanter statuit a pristinis criminibus abstinere, & omnia diuina mandata custodire, dicens intra seipsum,

Iurauit,

Pf. 52. 6.

Isa. 12. 3.

Luc. 1. 31.

Hieron. l. 4. in Isa. 12.

Matth. 1. 21.

Ambros. in Psal. 57.

4. Reg. 5. 14.

Exod. 14. 28.

Psal. 76. 20. Gregor. 5. mor. c. 2.

Ephrem de poenit. ser. 1.

Afor. 3. 19.

Matth. 3. 2.

Luc. 13. 3.

Ezechiel. 18. 21.

Hebr. 9. 21.

Cassian. col. 20. c. 8.

Hieron. 48. 10.

Origen. hom. 9. in Ezech.

Ps. 57. 1.



Psal. 118.  
106.

Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiae tuae; qui proximas saltem occasiones fugit, quibus ad peccatum pertrahitur, & ad divinae legis transgressionem allicitur, qui tandem castigationi praeteritorum peccatorum, & bonis operibus insistens, dignos facit poenitentiae fructus. Sed, o quam pauci in saeculo, comparatione multorum, hac ratione lamentis poenitentiae lauantur, & aqua salutis mundantur! Videmus eos sacro quadragesimae tempore ad pedes sacerdotum accedere, vulnera mentis detegere, remedia postulare, consilia (vt videtur) admonitionesque & impositas poenitentias admittere: sed illo sanctissimo tempore elapso, & Paschalis gaudiis instantibus, quantos videmus peccata deseruisse: facinorosa reliquisse, vitam mutasse?

Ia. 1. 21.  
Amos 61.

Intemperans ad domum suspectam redit, illius foeminae deperibat, colloquia, & aspectu procurat, & vetitos sibi cupiat amplexus. Mercator pecuniae cupidus, nec male parata restituit, neque illicitas actiones deserit, neque ab antiquis fraudibus, & technis abhorret. Iracundus odia fouet, rixas iam sopitas exuscitat, & in antiquis simultatibus perseverat. Ambitiosus, sicut antea dignitates ambit, in eis auram tantum popularem, & vulgi plausum quaritans, non vero animae suae salutem conueniat. Iudices antiquum more tenentes, diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduae non ingreditur ad illos. Optimates, capita populorum, separati in diem malum, & appropinquantes folio iniquitatis dormiunt securi, ac si Deum iam placuissent in lectis eburneis, & lasciuiunt in stratis suis, comedant agnū de grege, & vitulos de medio armenti, bibunt vinum in phialis, & optimo viuendo delibuti nihil patientur super contritionem Ioseph, neque pauperum & oppressorum miserentur. Sacerdotes iudicium, id est, damnationem propriam augentes, laqueus facti sunt speculationi, scilicet subditis suis; quorum salutem curare debent, & rete expansum super Thabor, quia eos malis exemplis irreciunt, & iniquitatis viam faciem, & expeditam efficiunt. Tandem fere omnes in antiquis peccatis manent, pristinum viuendi modum continuant, & totus mundus ita perstat delictis obrutus, fraudibus refertus, dolis, & mendaciis irrecitus, ac si non dies poenitentiae praecessissent.

Mat. 27.  
29.

Hanc igitur tu vocabis poenitentiam veram? hanc censibus lotionem in salutem: imo magis videtur irrisio, & subannatio Domini, similis illi, quam milites Pilati Christo Seruatori irrogarunt. Nam genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes; Aue Rex Iudaeorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Sic isti illudunt Domino nunc genu flectentes, & veniam petentes, statim vero nouas iniquitates addentes, iniurias irrogantes. Hodie vocant eum regem, & cras aduersus eum rebellat, peccata fetidissima expuertes in eum, & arundine leuitatis, & inconstantiae, tremendum caput vulnerantes. Quid de hac poenitentia sentire debeamus, Gregorius his verbis exponit. Admonendi sunt (inquit) qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, vt considerare solliciti sciant, quia flendo inuoluntate se mundant, qui viuendo se nequiter inquinant, cum idcirco se lachrymis lauant, vt mundum ad fordes redeant. Hinc enim scriptum est: canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro Iurii. Canis quippe cum vomit, profecto cibum, qui peccatus deprimebat, proicit, sed cum ad vomitum reuertitur, unde leuigatus fuerat, rursus oneratur? Et qui admissa plangunt, profecto nequitiam, de qua mala faciat fuerant, & quae mentis intima depri-

Prou. 26.  
11. 2. Pet.  
2.

mebat, consistendo proiciunt, quam post confessionem, dum repetunt, resumunt. Sus vero in volutabro loti, cum lauatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, penes grauiori culpae se subiicit, quia ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum voluit: quia dum flentibus suis vitae munditiam subtrahit, ante Dei oculos, sordidas ipsas etiam lachrymas facit. Haecenus Gregorius, & ipse sapienter. Ex quo manifeste colligimus, hanc poenitentiam, non cohibentem nos, ne antiquas sordes repetamus, haud quaquam in salutem lauari, sed potius grauiori ingratitude culpa mentem inficere, dum Dei indignationem prouocat, qui accepto tam ingenti remissionis beneficio, peccatum remissum, & condonatum iterat.

Ipsam itaque experimentum eorum, quae veluti oculis videmus, & manibus tangimus, satis aperte commonstrat, lotionem poenitentiae, quae in salutem lauet, in saeculo esse difficilem, siquidem tam pauci sunt, qui poenitendo vitam mutant, peccata abiiciant, & ab antiquis delictis mundentur. Sed quae sint huius difficultatis causae videamus. Vna est, quod vt peccatum odio habeatur, debet eius seditas, & malitia cognosci. Mundus autem, & mundani hanc malitiam, & deformitatem ignorant, quam vident principum exemplis, magnatum operibus, & omnium penes hominum, cuiuscumque status sint, factis, & affectionibus comprobata. An mundani luxuriae factorem exhorrent: imo diligunt, mercantur, de illa se iactant, & in priuatis colloquiis, suos (vt ipsi dicunt) amores narrant, & tamquam rem alicui, & nobilibus dignam hominibus, verbis tractant, versu, & soluta oratione publicant, signis praefertunt, mente reuoluunt. An superbiam, & ambitionem odiant? Quin potius tamquam rem dilectissimam amplectuntur. Aperte, & absque furo in curiis principum honores, dignitates, & publica officia aucupantur, togas senatorum, Episcoporum insulas, & appellationes honoratas exoptant. Et hoc non superbiam, non arrogantiam, sed magnanimitatem, & prouidentiam, & fugam otiositatis, atque amorem, & curam rei publicae reputant. An iram, & vindictam timent: imo, qui iniuriam dissimulat, & odium comprimit iridetur, vt vilis, illudetur, vt execratur, & a consanguineis, & amicis pro nihilo reputatur. Quis ergo in tam densis tenebris lucem inueniet, vt quod omnes bonum, aut tolerabile putant, ipse malum, & detestabile existimet; illud fugiat, vt summam miseriam, quod fere omnes, vt magnam felicitatem exoptant.

Euenit sane mundanis, quod inter Aethiopes certum esse comperimus: Hi enim omnes, cum sint attri, & deformes, neque isti aliorum atritatem aduertunt, neque alij istorum deformitatem confiderant. Ita cum mundus plenus sit ambitiosis, auariss, iracundis, intemperantibus, & libidinis deditis, eorum quidam, neque aliorum inueterata vitia damnant, neque illa damnabilia, ac odibilia reputant, sed tamquam aliquid ineluctabile, necessariumque sustinent. Non quod in intellectu credant (hoc namque iam non esset solum vitium, sed error) sed quod ita viuunt, ac si hanc opinionem imbibissent.

Altera huius difficultatis causa est, ipse status mundanorum, qui delicias amat, gaudium, & exultationem cupit, abundantiam, molliem, & prosperitatem quaerit, & omnem dolorem, tristitiam, & corporis afflictionem horret. Quare merito designatur per illam regionem Iordanis, quae vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrhiam, sicut paradisus Domini, & sicut

Gen. 13.  
10.



Ægyptus venientibus in Segor. Hanc elegit Lot ab oriente recedens. & captiuitatem, ac omnis substantiæ suæ iacturam elegit, putans se libertatem, & diuitiarum copiam acquisisse. Hanc quoque regionem spiritualiter mundani eligunt, nihil aliud nisi voluptates, & rerum abundantiam queritantes; inter has verò hostes latitant, qui virtutis opera impediunt, & veram libertatem animæ, scilicet gratiam, diripiunt, atque æternam salutem suffarentur. Illos mundani magni faciunt, illos felices existimant, quos temporaliter prosperitate abundare conspiciunt. Illos, inquam, quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua: Filia eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi. Promptuarum eorum plena, eructantia ex hoc in illud: Oues eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis: Boves eorum crassæ. Non est ruina maceræ, neque trāsitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Illos denique, qui tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi; qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto, id est, sine labore, & sine prolixâ, & longa ægritudine, ad inferna sepultura descendunt. In hoc itaque statu tam amico voluptatum quis nõ videat difficile esse delicias abicere. magnum dolorem ex ipsa amissione deliciarum concipere, cinerem, & saccum assumere, & in penitentia operibus perseuerare?

Hoc etiam penitentia studium nimia curæ, & occupationes mundanorum enervant. Petit enim animam diuina luce perfusam à sollicitudinibus liberum, tranquillitate pacatum, qui possit examinationi propriae conscientia vacare, lachrymis, ac dolori peccatorum intendere, concipiendo efficaci proposito emendationis insistere. Inter tot verò, tantisque rerum temporalium curas, quæ cor, mentemque discerpunt, & à consideratione rerum diuinarum abducunt, ista peccatorum detestatio statim obliuioni traditur, lachrymæ arefcunt, & voluntas nouæ vitæ, quasi fumus euanescit. Et sanè Gregorius manifestè testatur immoderatas mundanorum sollicitudines animæ vitæ, atque ad eam veram penitentiam impedire. Tractans enim quoddam Saluatoris miraculum, principis filiam suscitatis, ita ait: Fortas ergo turba eiicitur, vt puella suscitetur; quia si non prius à secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.

Tu ergo, o religiose, dum vitam secularem agas, non fuisi (vt videtur) lachrymis ad salutem, & compunctione lotus. Eras namque inter illos, & vnus ex illis, qui fedtatem peccatorum ignorabāt, & nimis curis, ac sollicitudinibus distuebant. Eras inter illos, qui te ad falsam securitatē, ad Dei, & tui ipsius ignorationem, ad inanem lætitiā, & gaudium, non ad lachrymas, & penitentiam veram, & perseuerantē alliciebāt. Eras inter illos, in quos inuehitur Isaias: Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiujs vestris, & opus Domini non respicitis, illud scilicet opus, quod in vobis cepit, dū per baptismum in suam amicitiam asciiuit; nec opera manuum eius, quorum vos beneficiis prosequitur, consideratis. Inter istos autem tam vanè gaudentes, tam miserabiliter lætos, tam infelicitè exultantes, quomodo salutarem tristitiam, & compunctionis lachrymas reperisset, vt maculas peccatorum detergeret?

Nonnumquam criminum multitudine fellus, & vitæ malæ pertæsus, tuum exitium dolere cœpisti, & dolore, ac facinorum tuorum detestatione te lauisi;

sed subito arefcabant lachrymæ, fugiebat dolor, & concepta desideria cessabant: quia sociorum risus, & exultatio; amicorum colloquia; ludi, & cœiuiua, non mentem grauem, & feriam: sed mollem, & iocofam petebant, vitamque voluptati, non verò penitentia deditam, postulabāt. Non es igitur lotus in salutem, quia illud balneum in salutem perseuerantē, nõ est, cui iterum contractæ sordes succedunt. Nam sicut canis reuersus ad vomitum suum, ita stultus iterum stultitiam suam. Illa mentis compunctio, illaque lachrymæ non lauabāt in salutem, quæ fictæ erāt, peccandi voluntatem non expellebant, & oblata occasione te à transgressione diuinæ legis non reuocabāt. Plorabas quidem peccata tua, sed vel externa fronte dolorem mentiens, vel imperfectissimo quodam timore coactus, & ided non mundabaris, imò (vt ego cõtēplor) a Domino irridebaris, qui illud dicebat, quod in Ecclesiastico scriptū est; In oculis suis lachrymatur inimicus, & si inuenerit, tēpus non satiabitur sanguine. Dum enim post fletum, & penitentiam susceptam, peccati opportunitatem inueniebas, iterum ei immergebaris, factus canis reuersus ad suum vomitū, & sus lota in volutabro luti. Tales frequenter solēt esse lachrymæ seculariū (bonos, & dei timorem habentes taceo) quas ad sua crimina detergēda profundūt, & cum eorum cæcibus adhærebas; sic forsitan plorabas, & ided non lauabaris in salutem.

*De ignorantia atque insipientia seculi.*

CAPVT VII.



NON mirum est, si homini in seculo constituto, difficile sit constantè penitere, & in salutem lauari, siquidē (vt præfati sum) adest ei ignorantia, & est sapientia, sine cuius præsidio, vt detestetur peccata, ipsorum nequitia, & fedtatem peruidere non valet. Est enim sapientia lux, quæ inter alia eximia bona, hoc, & quidem nõ minimum præstat, imò maximum & originem aliorum, vt nobis, tum virtutis pulchritudinem, tum vitiorum ac peccatorum enormitatem ostendat. Quibus perspectis, pronum est vitia vincere, ac profligare. Quamobrem iure optimo in fortitudine, sapientia lux luci solis, ac omnium stellarum decori præfertur: quoniam istis succedit nox, & quasi ab ipsis tenebris superant sapientia autem nõ vincit malitia, quinimò ante splendorem lucis eius victa, & ligata, atque omni suo robore priuata persistit. Et hanc ob causam sapiēs eam humiliter poscit, ne scilicet à filiorum Dei dignitate cadat, & ignominiam, atque miseriam inimicorū incurrat. Da mihi (inquit) sedium tuarum assitricē sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Quid est? Noli me reprobare à pueris tuis; nisi noli permittere, vt à sapientia derelictus, quæ omnis bonitatis est fons, serui, & amici tui, o Domine, dignitatem, amittam? Nam sine sapientia, id est, sine luce diuinitus indita, nec peccatū agnosco, vnde nec detestor; nec virtutis decorē video vnde nec amo, nec sequor, nec amplector. Nõ est autē aliquis seruus tuus, & amicus tuus sine odio peccatorum, & sine amore virtutum.

Hæc autē sapientia lux sale in diuinis literis aliquando designata est, quod & Hieronymus annotauit, & quod magis est Paulus edocuit, Colossensibus scribēs: Sermo vester (inquit) semper in gratia sale sit conditus. Nec Christus Saluator noster hæc significationē exhorruit, suos Apostolos sal terræ cōpellas, quia doctrina ab ipsis prædicata, deberent mundum vniuersum cōdire, & à vitiorū putredine vindicare.

Psal. 145. 12.

Iob. 21. 12.

Greg. 18. mor. c. 25.

Isa. 5. 12.

Prov. 26. 11.

Eccles. 12. 16. 1. Petr. 2. 22.

Sapient. 7. 29.

Sap. 9. 4.

Hieron. pro. Osa. Colos. 4. a. Mat. 3. 13.



Est autem non minima, si recte inspiciamus, salis, sapientiaque cognatio. Nam si causas eius inuestigamus, ex partibus aquae terrestribus, calore solis, & vento congelatis efficitur; & sapientia in animo instar terrae demisso Spiritu sancti afflatu, & charitatis ardore generatur. Illa enim cognitio, quam nec humilis mens suscipit, nec spiritus diuinus infundit, nec charitas perficit, an scientia sit, nihil attinet, sed certe sapientia vera non erit, quae scilicet cum donum sit Spiritus sancti, non nisi mentem puram, & ipsius Spiritus templum inhabitat. Si naturam consideremus, unum est ex fossilibus, & subterraneis, sicut aurum, argentum, stannum, plumbum, & alia huius generis, quod non in cibum, sed in condimentum omnium ciborum datum est. Et sapientia (ut inquit Iob) trahitur de occultis, & non in libris addiscitur, sed suspiriis & gemitibus, quasi ex diuino patre effunditur, ut ea virtutis opera condiantur.

Iob 28. 18.

Plin. lib. 31. c. 7.

Sapient. 1. 4.

Sapient. 9. 19.

Zech. 12. 11. Hierem. ibid.

Galen. lib. 2. de san. tuenda. mte mediu.

Si tandem quaeramus eius effectus, eos breuiter Plinius enumerat. Salis natura (inquit) per se ignea & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens: corpora vero attingens, siccat, alligans: defuncta autem, & putrescentia ita vendicans, ut durent ea per saecula. In medendo vero mordens, adurens, repugnans, extenuans, dissoluens. Sapientia autem ignea est, a calore (ut diximus) Spiritus sancti generata, sed igni concupiscentiae valde inimica, quae in maleuolam animam non introibit, disciplinae fugit fictum, & auert se a cogitationibus impudicis, quae sunt sine intellectu. Affectus humanos erodit, atque ab eis quidquid inordinatum est, & effrenatum, detrahit. Corda iustorum astringit, ne in vitia labantur, siccat, ne humore prauis amoris tabescent, alligat, ne in peccata perefluant: Nam per sapientiam sancti sunt, quicumque Domino placuerunt. Animas peccatis mortuas, & sibi ipsis praeparate humilitate, & contemptu proprio putrescentes, conseruat: & vitam aliam supra captum humanum, & incorruptionis claritatem communicat. In medendis autem aliorum peccatis, quantum mordeat, & exurat, Ecclesiastes ait, Verba (inquit) sapientum, sicut stimuli, & quasi clauis in altum defixi. Quo loco Hieronymus, Simul & hoc notandum est (inquit) quod dicantur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciuam, sed errantibus, & tardis penitentiae dolores, & vulnus infligere. Si cuius ergo sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis.]

Hoc ergo sapientiae sal tibi saeculariter viuenti, o anima, in mundo defuisse, Dominus, ut saeculi miseria pergat ostendere, verbis sequentibus edocet. Postquam enim praemisit: Et aqua non es lota in salute[m] statim subiicit, Nec sale salita. Hoc namque beneficio obstetrices, suos olim prosequerentur infantulos, (quod & Galenus praecipit) leuiter sale fricabant, ut corpora delicata restringerent, & cutem mollissimam solidarent. Hoc autem beneficium, o anima, in saeculo longe fuit a te, quia non erat, qui te spiritaliter condiret, nec sapientiae sale perficeret. Nam si verum est neminem dare, quod non habet, non erit difficile persuadere mundum neminem ex suis vniquam sale condidisse, neque sapientiae luce decorasse, si non palpatores, sed veritatis assertores esse velimus. Si enim mundus sapientiae sale, & diuinae cognitionis luce abundaret, nequaquam Dominus eius miseratus de tanto sale, ac de tantis luminibus prouideret. At saleni, & lumen dedit mundo, Apostolos scilicet, & Apostolicos viros, qui illum acriter reprehenderent, docerent, & illuminarent, hoc beneficio mundum caecum, & insanum, & sapientiae sale indi-

gum esse contestans. Ignorantiae, ac insipientiae plenus est mundus, aded ut non obscurus, nec tenebrosus, sed ipsa obscuritas, & ipsae tenebrae compellerentur. Et lux (inquit Ioannes) in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt. Est ac si dixisset, Lux mundo illuxit, & mundus eam non apprehendit. Unde Gregorius Nazianzenus, Et lux lucet in tenebris, id est, Christus in saeculo, & tenebrae eum non sunt assequuta. Et alibi ipse Ioannes: Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Cum enim saeculum ipsa tenebra sit, atque ipsi obscuritas, quid mirum, si luce odio habuit, & ignorantiam, ac caecitatem natiuam dilexit? Est utique mundus omnis iustitiae, ac aequitatis osor, cum totus in maligno positus sit. Quare sapientiae luce non potest perfundi. Nam ut Ecclesiasticus ait: Filii, concupiscitis sapientiam, serua iustitiam. Qui ergo odit, atque detestatur iustitiam, non est aptus, ut sapientiam percipiat.

Haec sane sapientia tam pretiosa, tam fugiendis peccatis, & prosequendis virtutibus necessaria, haud quaquam in saeculo isto caeco, & insipienti commoratur. Quare Beatus Iob huius praeclearissimae lucis habitaculum, ac domicilium illis verbis inquitens: Sapientia ubi inuenitur, & quis est locus intelligentiae? Hoc audit responsum. Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra sua uiter viuendum. A byssus dicit, non est in me, & mare loquitur, non est mecum: Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque caeli latet. Quae neque ab homine, id est, terrena sapiente, cognoscitur, neque in sua uiter viuentibus & carnalibus inuenitur, quam neque abyssus, hoc est astutus, possidet, neque iracundus, & instar maris turbatus assequitur: quae neque in ter viuentes sibi ipsis, & propriis passionibus seruientes, neque inter volucres, hoc est, superbos & arrogantes inhabitat: manifestum est, quoniam a saeculo excluditur, & cum impiis & peccatoribus minimè commoratur. Hunc sensum Beatus Gregorius confirmat. Qui nomine terrae animam humanam, nomine abyssus corda hominum, & nomine maris inquietudinem metuum saecularium intelligit, in quibus, ait, sapientiam non inueniri, quia neque huius mundi voluptatibus pacitur, neque duplicitate & astutia humani cordis possidet, neque curarum saecularium inquietudine delectatur. Sed ad quid rationum momentis, aut Scripturae sacrae testimoniis indigemus, cum ipsos mundanos se esse sapientiae hostes, & inimicos audiamus? Ipsi enim sunt, qui dixerunt Deo: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Qui moniti a Domino, ut interrogarent de semitis antiquis, & de via bona, ut ambularent in ea, dixerunt: Non ambulabimus: Et rogati, ut audirent vocem tubae, responderunt: Non audiemus. Frustra testes afferuntur, ubi ipse mundus procaciter suam insipientiam confiteatur.

Quamuis autem mundani verbis non diceret se esse insipientes, atque ignorantes, opera tamen illorum id manifestè testantur. Si enim caeci erant illi miseri, & impari Sodomitae, qui cum essent prope domum iusti, ostium tamen eius inuenire non poterant, multo magis caeci nunc habitatores Sodomae, id est, mundi huius, qui inter totos magistros, qui eos erudiunt, atque in media Euangelij luce, non inueniunt ostium iustitiae, neque in ianuam suae salutis incurrit. Capti erant oculis Syri, dum putabant se amicum sequi, cum tamen Eliseum hostem sequeretur, qui eos collocauit in medio Samariae, & hostibus sanguinem Syrorum sitientibus tradidit. Sed multo magis lumine capti mundani, qui ab Ecclesia, & ministris eius proprii periculi admoniti, demonem terribissimum

Ioan. 1. 5.

Nazian. lib. de fid.

Ioan. 3. 19.

1. Ioan. 5. 19.

Eccles. 1. 33.

Iob. 28. 12.

Greg. 18. in r. c. 24. c. 25.

Iob. 21. 15.

Ierem. 6. 16. 17.

Gen. 19. 11.

4. Reg. 6. 19.

hostem



hostem tamquam fidelem amicum sequuntur, qui eos, non in Samariam inferat, sed in gehennam locum tormentorum detrudat.

Indic. 13. 31.

1. Cor. 8. 4.

Gen. 31. 30.

Psal. 113. 5.

Eccles. 5. 4.

ibid.

Gregor. hom. 32. in Euang.

Isa. 5. 8.

1. Cor. 3. 19.

Iob. 5. 13.

Psal. 93. 11.

Psal. 106. 10.

Bern. ser. 5. in vig. nat. Dom.

Quo tempore non erat Rex in Israël: sed vnus quisque, quod sibi videbatur, faciebat. ] Michas stultus erat, & insipiens, qui Teraphim colebat, id est, Idolum adorabat, quod nihil est, vt inquit Paulus. At hoc nihilum sibi furto sublatum esse peruidit, & Idoli absentiam desess, vocibus & gemitibus totam regionem impleuit. Verum insipientiores sunt peccatores, qui non vanum Idolum: sed verum Deum, qui cælum, & terram implet, criminibus sublatum sibi non lugent, neque eius absentiam incredibilem, vtique calamitatem non sentiunt. Laban quoque stultus erat, & tamen fallorum Deorum iacturam dolens, qui nõ sunt dij, generum itinere septem dierum insequitur, vt Deos suos recuperet, qui oculos habent, & non vident, pedes, & non ambulant, nec clamant in gutture suo. ] Sed quantò stultiores mundani, qui omnipotentis Dei iacturam non dolent, cuius oculis illuminantur, voce erudiuntur, manu potenti sustententur, neque vt illum inueniant, atque possideant, vsque ad se ipsos properare festinant: Verè stulti, qui aternam damnationem incurrunt, gratiam perdunt, charitatem amittunt, virtutes dilapidant, felicitatem perpetuò duraturam consumunt, & leti, atque h. lares dicunt: Peccaui, & quid mihi accidit triste? ] Quasi non esset miserimum tantis malis se subdidisse, & tanta bona dilapidasse. Quasi altissimus non esset patiens redditor. Quasi non esset verum, quod misericordiã, & ita ab illo citò proximã, & in peccatores respicit ira illius. ] Verè stulti, quos demones exerceant, sicut Philistæi ducem inclytum Samson, & sicut Chaldæi Sedechiam exacerant, vt nec ignominiosam occupationem mouendi molam tam inutilium laborum aspiciant, nec ingressum in Babyloniã confusionem aduertant.

Non sanè quid homines sciant à mundo eruditi. Sciunt sua retinere ( vt inquit Gregorius ) aliena rapere, si possunt, concupiscere, si non possunt. ] Sciunt sibi ipsis superbe considerare, ceteros verò contemnere, & asperrari. Sciunt vacare gulã, indulgere vino, operam nauare luxuriã sciunt aurum, & argentum querere, vestes pretiosas, & delicatas inquirere, & vt est apud Isaiam, agrum agro copulare vsque ad terminum loci, ac si soli in medio terræ essent habitaturi. ] Sciunt inimicitias exercere, similitates fouere, innocentiam à se, simplicitatem, & fratrum charitatem ablegare. Sciunt pro rebus vilissimis, pro primis sedibus, pro honorificis titulis, pro honoribus, & dignitatibus, vsque ad sanguinem decertare. Sed hoc scire, nescire est. Hæc omnia fatuitas, inscitia, & ignorantia sunt. Quoniam sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. ] Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientum quoniam vanæ sunt. ] Non ergo habebas, o anima, qui te in seculo sale sapientiã condiret, vt solidareris, & virtutibus perfruereris, sed vt insipientior efficereris, qui te errorum, atque ignorationis condimento fedaret.

Certe sapientia, & diuinæ legis cognitio, illa præfertim, quæ ad praxim dirigitur, & sal est, & lux est. Sal, quia à corruptione seruat, & putredinem vitiorum auertit; & lux, quia falsas mundi opiniones pellit, & notitia diuinorum madorum illuminat. Sed nos, dum in seculo vitam egimus, non in luce, sed in profunda caligine versabamur, sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, vineti in mendacitate, & ferro. ] An non cuique nostram ( inquit Bernardus )

caliginosa nox erat, cum tamquam sine Deo in hoc seculo viueremus, cum ambularem post cõcupiscentias nostras, cum sectaremur carnis illecebras, cum obtemperarem desideriis secularibus, cum exhiberemus membra nostra arma iniquitatis peccato, cum seruiremus iniquitati ad iniquitatem, in quibus nunc erubescimus, tamquam operibus tenebrarum. Qui dormiunt enim, nocte dormiunt ( Apostolus ait ) & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. ] Hæc Bernardus, Dicamus igitur nunc, quod in malo peccatores postmodum dicturi sunt: Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. ] Dic, & tu, o anima religiosa, Erraui sicut ouis, quæ perit, & dum te errasse & ignorasse in seculo confiteris, manifestè dicis, te sale non fuisse salitam, nec scientiæ sapore fuisse conditam.

1. Thes. 5. 7.

Sapient. 5. 6.

Psal. 118. 176.

De ignominiosa nuditate virtutum, quæ est in seculo. CAPVT VIII.



Vt in tenebris ambulat, & in medijs noctibus suas actiones efficiunt, nihil curat, si nudi, & vestibus spoliati incedat, aut si à quopiam sine debito cultu corporis videantur. Nox enim ipsa pro vestimento est, & tenebræ locum tegumenti obtinent, dum eorum, qui astant, aspectu impediunt. Lux verò minimè nuditatem permittit, quæ omnia detegens, & oculis præsentium obiciens, nos tãgit verecundia, vt & corpora nostra operiamus, & pro ratione status, aut dignitatis decenter induti ambulemus. Hoc insinuauit Paulus Romanis Christi Saluatoris aduentum annuntians. Nox præcessit (ait) dies autè appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die, honestè ambulemus. Illos, & nos admonens, vt si in nocte culpæ, vel infidelitatis, humanum genus quasi nudum, ac minus honestum incedebat: iam in die fidei & gratiæ, & splendidis operimentis indutum, & vt diem splendidissimum, & omnibus conspicuum decet, honestum, & decorum appareat. Diei namque ( vt notauit Beatus Thomas ) duo videntur congruere, honestas, & labor: honestas, vt quisque studeat se componere, vt aliis honestiùs se offerat: labor autem, ne otio torpès iaceat, sed erectus, & strenuus ambulet, & aliquid suæ salutis necessarium operetur. Cum ergo seculum nox quædam sit ( vt testatur Ambrosius ) & sanè nimis tetra, & obscura, cui vt dictum est, lux sapientiæ deficit, hinc ortam habet aliud malum seculi, quod mundani in eo tamquam in nocte, nudi, & spoliati indumentis incedant. Quare Dominus illis verbis, quæ animæ mundanæ dixit: Neque sale es salita, ista sequentiã adicit: Neque inuoluta pannis. ] Ac si exprobraret illi, cum in nocte mundi sapientiæ lux tibi non affluerit, nada ambulas, & ignominia plena, nec fuit qui curaret te pannis obtegere, aut vestibus amicare.

Rom. 13. 12.

D. Tho. in cap. 13. ad Rom.

Amb.

Hi panni, siue istæ vestes, quarum decore, & protectione anima mundana caret, virtutes sunt. Vnde Paulus: Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiã, patientiam. Apertum est autem, quod non nisi vestes induimus, & illis ad honestatè, & fomentu circudamur. Et innoces Iob de istis indumentis gloriatur, dicens: Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimèto, & diademate iudicio meo. ] Innocentiã, & animæ puritatè iudiciu suum vocas, quia sicut vestimèto ex omni parte circudamur, ita ille ( vt ait Greg. )

3. Colos. 3. 2.

Iob. 39. 14.

Greg. 19. mor. 12.



Bern. ser. 1. de ann. nati.

Psal. 84. 11.

Ambros. 9. in Luc. c. 1.

Psal. 44. 10.

Basil. in Psal. 44.

Colos. 3. 10.

Iob. 1. 31.

Aug. 13. de civit. Dei c. 13. tom. 5. lib. 11. de gen. ad lit. c. 1. tom. 3.

iustitia vestiebatur, quia se vndique bono opere protegebat, & nullā partē actionis suæ peccata nudam relinquebat. Pulchrę profectō vestes, quibus primus parens noster Adam ē manibus sui creatoris exiuit indutus. Præclare enim dixit Bernardus: Videre mihi videor, dilectissimi, quatuor virtutibus his amictum primum hominē, ab ipso suæ creationis exordio, & (vt propheta meminit) vestimento salutis indutum.]

Per quatuor autem virtutes, misericordiam, & veritatem, iustitiam & pacem intelligit. De quibus regius vates concinuit: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt. Istum amictum, istam splendidam vestem, istam stolam nuptialem, virtutem scilicet, & innocentiam dederat illi Deus, quam vtiā nō inobedientia fēdasset, peccato dilacerasset, incuria perdidisset, quia ea nūc nos operiremur, & tamquam quibusdā armis lucis ab aduersarij protegeremur incurisib<sup>9</sup>. Decorę vestes, quas Saluator noster suo asello imponi præcepit, vt his operimentis adornatus, sibi vcturæ exhiberet oblectia. In Scripturis diuinis (inquit Ambrosius) plerumque vestimēta virtutes sunt, quæ gentium duritiam in aliquantulam propria quoque virtute molliant, vt inoffensa vcturæ felicitis obsequia Christo Domino, sedulis affectibus exhiberent. ] Has tu vestes, o anima mea, tibi compara, hæc indumenta habere procura, vt appareas spōsa Dei tui in vestitu decorato, circūdata varietate. ] Hic namq; vestitus, hæc operimenta varietate cōtexta, non corporalia, sed spiritalia sunt, non corporeis oculis aspiciuntur, sed oculis mētis videntur, non corpus operiunt, sed mētem, partem vtiq; nostri preciosiorē amicitū. Quod in hæc verba testatur Basilus. Quin & simbrij aureę, quibus tota est circumamicta anima talis, & variegata, vtiq; in intimis sunt reposita. Nec tu quidquam quæras in externo isto auro, aut variegato corporis amictu, magis cultum quemdam mihi hīc insinuat intellige, qui dignus sit cohonestare, ac redimere hominem, qui ad sui conditoris imaginem creatus est. iuxta verbum Apostoli: Exuti veterem hominem, & induti nouum, qui renouatur ad agnitionem secundam imaginem sui conditoris. Et qui induit se viscera misericordiæ, bonitatem, humilitatem, lōganimitatem, mansuetudinem: talis interiori amiculo redimatus est, & secundam interiorem hominem probē adornatus, & excultus.]

Virtutes itaque vestes animæ sunt: Nam sicut vestis non est aliquid naturale nobiscum exortēs, (Nudus enim egressus sum de vtero matris meæ, inquit Iob, & nudus reuertar illuc) sed extrinsecus corpori adherens: ira virtus non est cognata homini in iniquitatibus concepto, & in peccatis in lucē edito, sed Dei munere, labore nostro cooperatē cōquisita. Vestis ad operendam nuditatem, & fouendum corpus inuēta est: & virtus, vt ignominiam nostram cooperiat, data est, & vt animam defendat, & foueat. Et si illa corpus exornat, & aliquando hominis, aut statum, aut munus, aut dignitatem demonstrat: hæc mentem venustat, & quis sit iustus, & Dei filius conuenienter ostendit.

Sed istis vestibus animam in mundo viuentem, & mundo deditam, non operiti in illa primorum patrem ignominiosa nuditate adumbratum inuenio. Simul atque peccarunt, se nudos, & vestibus spoliatos esse conspicunt, de nuditate erubescunt, quia statim hostem, cui subdi ingēs infamia est (vt notat Augustinus) scilicet rebellionem carnis perferunt, & folia ficus, indicia inobediētiæ, in operimentū contexerunt. Ista vestimēta ignominia plena, nuditatem verō innocentia, ac sanctitatis, nobis filijs suis, iuro

A hereditario reliquerunt. Cui nuditati, vt genus humanum subueniret, tamquam inspiens, & ignorās, non innocentiam amissam, vestem quidem pulcherrimam, recuperare contendit, sed induit maledictionem, sicut vestimentum, id est, vitam pessimam, innumeris peccatis cōtextam, & intrauit malicia sicut aqua in interiora eius, & sicut oleū in ossibus eius.] Hæc est sicut vestimētum, quo operitur, & sicut zona, qua semper præcingitur. ] Hoc indumentum filiorum Adam mundus, ne rumpatur, nec veterascat, quantum potest, conseruat: aliud verō innocentia perditæ, ne iterum induamus, constanter vetat. Nititur profectō conseruare illud primum nequitia vestimentum, & ita quæcumque a sæculo accepisti, o homo, falsis bonis te vestiebant, & veris, ac non perituris bonis te nudabant. Vide quid tibi mundi ministri dederunt, & a quibus bonis te spoliarent. Ab atavis tuis honorem, & sanguinis ingenuitatem recepisti, qua superbiebas; a parentibus diuitias, quarum vsu & abundantia, libidine diffuebas, a seruis, & mancipijs exquisita obsequia, quibus otio torpebas; a fratribus & consanguineis audaciam, qua proximis irritabas; ab amicis adulationis verba, quæ audiens te ipsum ignorabas; a fortunis, & possessionibus, curas & sollicitudines, quæ cum te totum absorberent, cœlestia, & aeterna non respiciebas. Omnes sodales & cognati tui huic desiderio intenti erāt, vt corpore bene valeres, vt auro, & gemmis ditesceres, vt honoribus, & deliciis afflueres, vt aliquam dignitatem consequereris: Nullus autē curabat, vt animo incolumis esses, virtutibus ornareris, & veram summamq; dignitatem, scilicet Dei amicitiam, comparares. Vicerat enim amor carnis ( vt Hugo de sancto Victore ait) reuertentiam creatoris. Quid est hoc, nisi quod omnis mūdus, & vniuersi affectus eius cooperiebāt te vitijs, inordinatis affectibus, peccati occasionibus, vt nūquam veterem hominē exueres, & vestem ignominia nouam, & recentē custodires?

Perpende autem nunc, quam nō fueris in sæculo inuolutus virtutum pannis, nec iustitia vestimentis indutus. Ista vestes salutis in officina primū penitentia fiunt, in taberna contritionis venduntur. Contritio vera est, quæ peccatorum maculas lauat, vt his sordibus loti, indumentis preciosis virtutum nos induat. Illa est, quæ indumenta ista pulcherrima, non corpori, sed animo adaptat, & pura, atque illibata conseruat. Quare egregiē Bernardus. Scindamus corda nostra, dilectissimi, quatenus integra, proinde vestimenta seruemus. Vestes enim nostræ virtutes sunt: Bona vestis charitas, bona vestis obedientia est Beatus, qui custodit vestimenta hæc, vt non ambulet nudus. Denique, beati quorum tecta sunt peccata. ] Etenim charitas operit multitudinem peccatorum. ] Scindamus corda, vt hæc vestimenta integra seruemus, quemadmodum integra seruaia est tunica Saluatoris.]

E Si autem in sæculo mentis compunctionem non habuisti, quia aqua non es lotus in salutē: quid mirū si non fueris virtutum pannis coopertus, nec pretioso bonorum habituum indumento contactus? Sed si forte aliquando in penitentia officinam ingressus es, & vi lachrymarum perfusus, contractas peccatorum maculas diluisti, & benignitate Domini fuiti stola gratiæ, ac virtutum indumentis ornatus, quis cogitare sufficiat, quanta sollicitudine mundus te iterum exuat, & spoliat, & hæc vestimenta salutis abrumpat? Si abstinerē volebas, & cibo, ac potu moderatē vti, vt motus carnis comprimeres, & praua desideria refrænares, statim offert conuiuia, & epulus cognatorum, quibus

Psa. 108. 16.

Hugo. lib. 3. de vici. mundi.

Bern. ser. 2. quadrag. 36.

Psal. 31. 1.

1. Petr. 4. 8.





inuitantibus, & rogantibus, agrestis hominis effect non condescendere, & si conuiuas, difficile admodum est gulae & ventri non indulgere. Si pudicitiae ac castitatis munditiam optabas, ingerit oculis puellarum formas, mulierum pulchritudinem, quam videas, quam cogitatione voluas, cuius igne emollitus in praua desideria dissoluaris, & telo illicitae delectationis confixus intereas. Si charitatis iura seruare decreuerat, & nihil Deo ingrati, aut proximo aduersum committere sollicitudinum ventis conceptum ignem extinguere curat, & malorum iniuriis tibi illatis à proximorum amore seiungere: patientiam rebus aduersis impetit, iustitiam amore rerum terrenarum impugnat, & breuiter, quamcumque virtutem vi oppositi vitij, & magnitudine occasionum elidit.

Sed orationis, aut sanctae lectionis praesidio voluisti tuam mentem munire, & ad coepta desideria reuocare, tunc negat locum quietum, & sequestratum, in quo deberes lectioni, aut orationi vacare. Vel saltem tot impuris cogitationibus, tot vanis recordationibus, tot superfluis rerum agendarum curis animam turbat, vt suauitatem nullam, & vix aliquem fructum ex occupatione tam vtili valeas percipere.

Tandem, tam difficile est in saeculo vestem innocentiae, & virtutis seruare, quam inter flammam ignis non vri, inter animalia venenata non infici, inter canes hostium inemem non laedi, & in medijs fluctibus, & maris saeuientis procellis nullum motum, neq; agitationem sentire. Quis enim (vt inquit Ambrosius) inter tot passiones huius corporis, inter tantas illecebras huius saeculi, tutum atq; intemeratum seruare potest vestigiū? Respexit oculus, & sensum mentis euerit, audiuit auris, & intentionem inflexit, inhalauit odor, & cogitationem impediuit, os libauit, & crimen reddidit tactus corripit, & ignem adoleuit: Intrauit mors per fenestras (dixit Propheta.) Fenestra tua est oculus tuus; si videris mulierem ad concupiscendum, intrauit mors; si audias sermones meretricis, intrauit mors; si luxuria sensus tuos capiat, penetrauit mors. Simile omnino scripsit Bernardus. Mundas (ait) circumcingit, & obsidet me vndique, & per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus, scilicet, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactū sagittis suis me vulnerat, & mors intrat per fenestras meas in animam meam Respicit oculus, & mentis sensum auertit; audit auris, & intentionem cordis inflectit; odoratus cogitationem impedit; os loquitur, & fallit, per tactum ardor libidinis pro aliqua parua occasione excitatur, & nisi illic respiciatur, subito totum corpus occupat, vrit, & incendit. Primò carnem cogitatione modicum titillat, deinde delectatione turpi mentem maculat, & ad extremum per consensum prauitatis sibi mentem subiungat.

Vides ergo, o homo, quam difficile sit in saeculo, non dico iam pannis virtutum inuolui: sed hos panes (si aliquando eos coparasti) non perdere & integros, atque illibatos seruare: sicut enim infantes recenter nati, & in terra proiecti, soliq; & sine custodia relictī, mille exponuntur periculis, non solum, vt bestia aliqua eorum panes discerpant, sed vt canis illos mordeat, sus laceret, aut equus conculcet: ita & tu iactatus super faciem mundi huius expositus eras, vt trita, quae numerat Apostolus Ioannes te mundi mala disperderent, nempe, vt concupiscentia carnis proscinderet, concupiscentia oculorum distumperet, & superbia vite contereret. Paratus eras, nō quidem, vt te pia nux, congregatio bonorum attolleret, quae infantuli imbecillitate sapientiae lacte, & piarū actio-

num micis educaret, sed vt mulier illa circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, quae (auctore Richardo Victorino) est multitudo malorum, suo gremio susciperet & poculo aureo pleno abominationis, & immunditia fornicationis, te potaret, quo inebriatus, neque tuam nuditatem, & paupertatem agnosceres, neque iniquitatum praecipitia timeres. Non habuisti ergo in terra Chanaan, in mundo patria tua, neque qui te sale sapientiae saliret, nec qui pannis virtutum, & bonarum actionum obuolueret.

Quam sit homo praesidiis ad bonum destitutus in saeculo.

C A P V T I X.



X his quae diximus satis aperte conspicitur quam sit homo in saeculo omnibus adiuuentis ad bene, sancteque viuendum destitutus, ac destitutus. Licet enim multa auxilia ad studiosam vitam seculam percipiat, vt sunt sacramenta, exhortationes ministrorum Dei, inspirationes internae, exempla aliquorum bonorum, qui tamquam lucernae ardentes lucent in caliginoso loco, & alia huius generis: tamen haec non mundus suppeditat, sed Deus misericordia commotus offert mundo, ne funditus pereat. Vnde Augustinus optime. Malum desertum (& quidem de mundo loquitur) horribile, & timendum, & tamen Deus misertus est nostri, & fecit nobis viam in deserto, ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, & fecit nobis consolationem in deserto mittendo ad nos praedicatores verbi sui, & dedit nobis aquam in deserto, implens Spiritu sancto praedicatorum suos, vt fieret in eis fons aquae salientis in vitam aeternam. Et ecce habemus hic omnia, sed non sunt de deserto: Ergo proprietatem deserti prius commendauit Psalmus, vt & cum audisset, in quo malo esses, si quas hic habere posses consolationes, vel fociorū, vel viae, vel aquae, nō tribueres deserto, sed illi qui te visitare dignus est in deserto.

Quemadmodum ergo, si vir diues, & nobilis pretiosos, & bene paratos cibos mittat in carcerē, ibiq; magnificum vinctis conuiuium instruat, vt in die Paschae gaudeant, & epulentur, nemo dicit illam ciborum praeparationem esse propriam, ac debitam carceri, & erga tulo malefactorum, sed ab alio sine vilo debito missam, in eorū leuamen, qui vincti, & compediti tenerentur: ita dona caelestia, quae misericordiarum pater mittit saeculo, & viuentibus in illo, nō sunt bona saeculi: sed aliunde asportata, in hominum mundanorum subsidium. Quod adeo verum est, vt sicut aquae dulces fluminum, intrantes in mare, natiuam suauitatem deserentes amarescunt, ita haec dona Dei mundanis praerogata, ipsorum culpa, non raro suam efficaciam amittant. Ministratur illis penitentia, nec redeunt ad cor, quia eam sine debita dispositione recipiunt. Ministratur panis angelorum, nec roborantur, nec crescunt, quia, aut mortui comedunt, & peccato graui subiecti, aut eo pane omnino tepide distracti, & sine reuerentia, & amore vescuntur. Audiunt verbū Dei, illud emolliēs ferrū, & cōterēs petras, illud viuū, & efficacē, & penetrabilius omni gladio accipiti, & si illos percutiat, murmurat, cōqueruntur, & praedicati minas intētāt. Circūueniamus (inquit) iustū, quoniam inutilis est nobis, & cōtrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. Si verò suauiter moneat, & molliter attrahat, dicētis artificium laudant, eloquentiam admirantur, sed vitam non mutant, nec

Apoc. 17.  
Richard.  
in Apoc.  
9.

Aug. in  
Psal. 62.  
hom. 8.

Ambr.

Jerem. 9.  
21.

Bern. lib.  
mudis. c.  
14.

1. Ioan. 2.  
16.

Hebra. 4.  
12.

Sap. 2. 12.



Psal. 137. 6.

Greg. lib. 1. in Ezech. 1. om. 9.

Ezech. 16. 5.

Tob. 3. 8. 25.

Greg. 2. 9. mor. c. 14.

Ierem. 9. 26.

Hierony.

Osea 9. 10.

mores pessimos deserunt. Aures internas obturant, ne audiant sapientiam, ad similitudinem aspidis furdae, & obturant aures suas, quae non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapiēter. ] Vel si se audiuisset, & intellexisset, dissimulare non possunt: tunc verba praedicationis irrident, & tanquam amentes indignantur in medicum. Puerisla quippe mens (vt Gregorius ait) quando per increpationem corripitur, aut per praedicationis dulcedinem bona suadentur, de correptione fit deterior: Et inde in murmurationis iniquitate succenditur, vnde debuit ab iniquitate compefci. ] Haec ergo bona tam magna, & tam pretiosa, quae in cor mundanum ingressa, solent proprio robore, & virtute priuari, citra dubium non sunt bona mundi, sed aliunde mundo illata, & in eius vtilitatem adducta. Atque adeo mundani in saeculo, quantum est ex ratione loci, in quo degunt, valde sunt praesidiis ad bonum destituti. Quod Dominus, sequentibus verbis in aures animae secularis instillat, dicens: Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his, miseris tui. ] Id est, cum patria tua, & natale solum, in quo nata es, sit terra Chanaan, saeculum istud infelix, & miser non fuit in eo, qui te oculis misericordiae respiceret, non fuit qui tui miseretur, vel aliqua veste contingeret, vel mala, quae immincebant, propelleret, aut te à tantis periculis liberaret.

Sed quare mundus caret his bonis ad studiosam vitam colendam necessariis? Quare illa sibi non comparat, nec in vsum habitatorum suorum inquirat? Certè, quia suapte natura desertum est quoddam incultū, & vasta, atque sterilis solitudo, cui repugnat, haec bona, vt propria, & sibi debita possidere, quia si ea tamquam propria haberet, iam solitudo, & desertum non esset.

Mundus est illud desertum, cuius gratia dedit Dominus vehementissimo imbri cursum (vt est apud Iob) & viam sonantis tonitru, vt plueret super terram absque homine, in deserto, vbi nullus mortaliū commoratur. Vt impletet inaiam, & desolatā, & produceret herbas virentes. ] Imber enim vehementissimus, & sonans tonitruum, nihil aliud est, quam praedicationis euangelica, quae instar imbris, corda hominum rigat, & instar tonitru mentes impiorum exterrit. Desertum autem sunt mundani homines, mundi, aut saeculi nomine signati, quos Deus verbo praedicationis rigat, si forte compungantur, & desideria virtutis concipiant. Vnde Gregorius. Sunt plerique ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem nomine consentunt, verba vitae auribus audiunt, sed ea transire vsque ad interna cordis, minime permittunt. Hi quid aliud, quam deserta terra sunt? Quae scilicet terra hominem non habet, quia eorum mens sensu rationis caret. Et nullus mortaliū in hac terra commoratur, quia & si quando in eorum conscientia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non persistunt. Prava enim desideria in eorum cordibus sedem inveniunt, recta vero, si quando venerint, ac si impellatur, decurrunt. ] Mundum etiam Dominus desertum vocat per Ieremiā, dicens: Visitabo super omnem, qui circumcisum habet praeputium, & super omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto. quia omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus Israël circumcisus est corde. ] Qui namque sunt isti attonsi in comam, nisi gentes? (vt inquit Hieronymus) quae desertum, id est, mundum inhabitant, & praeputium non resecant, quia prauos affectus fount, neque inordinata desideria mortificant. Et apud Oseam: Quasi vna in deserto inueni Israël, quasi prima poma fi-

culneae in cacumine eius vidi patres eorum. Quod dictum est, quia Dominus in solitudine saeculi, & vidit Apostolos Ecclesiae patres, & inuenit spirituale Israël. id est, fidelem populū à patribus illis progenitum, quem quasi primum, & suauissimum fructum in mensa sua ponendum elegit.

Merito autem deserti nomine mundus significatus est, quoniam desertum, vt ipsum nomē sonat, locus est inhabitabilis, & solitarius, in comodis multis refertus, & omnibus bonis destitutus. Desertum locus est infructuosus, spinis, & vepribus plenus, aestibus, ac solis ardoribus patens, bestiarum immanium latibulum, inuius, & inaquosus, solo aspectu metum & horrorem incutiens. Quae omnia profecto quadrant in saeculum. Vnde non mirum si in eo non pepercit super nos oculus, vt vnum saltem supra dictorum beneficiorum nobis praestaret.

Quis credat mundum esse locum homini inhabitabilem, cum à tot populis gentibus, & nationibus habitetur? Verum si rem istam, non sensus, sed rationis oculis expendamus, aperte comperiemus, hominibus, id est, iis, qui more hominum ratione, & diuina lege regantur, esse admodum vacuum, atque desertum: ac proinde cum, qui virtutem sectari velit in mundo, esse soliuagum, & hominis adiumentis destitutum. Adam in suae creationis initio animalibus, & volatilibus coſtipatus solus esse dicitur. Quare Dominus: Non est bonum (inquit) hominem esse solum, faciamus ei adiutoriū simile sibi. ] Nam vbi non est natura consimilis, neque eadē institutio, & ratio viuēdi, non potest esse societas. Mundani autē homines sunt tanquam fera animalia, quae sensu, & desiderii natura; non ratione, & imperio virtutis gubernantur; locus igitur & habitatio eorum viro cultori virtutis solitarius est; & magna ex causa deserto comparatus. Quod vt ita esse nobis persuaderemus, non semel Dominus in Scripturis factis, huiusmodi homines per animalia designat, & bestias immanes appellat. Et facies homines (inquit propheta quidā) sicut pisces maris, & quasi reptile non habens principem. ] Peccatores namque piscibus sunt similes; nam sicut isti fecunditate maxima pollent, & voce carēt, ita & illi fecundi sunt, & alios sibi similes gignunt: dum ad suas nequitas trahunt. Sunt etiam muti, & orationis verbo carentes, quo Dominum vt se a tantis malis eripiat inuocare debuissent. Merito etiam reptilibus comparantur, quia sola terrena suspirant: secundum illud Pauli: Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. [Per terram autem reperere, id est, terrena sola quaerere, & concupiscere, non est hominum (vt ait Iſychius) quibus concessum est, vt recti incedat, caelumque suscipiant. Erit ergo reptilium, quae Dominus detestatur. Nā omne quod reptat super terram (inquit) abominabile erit, non allumetur in cibum. ] Et rursus alius ex his, qui Spiritu Dei acti sunt, ita dixit: Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quae fuerūt in castris illis, sicut ruina haec. ]

In his animalibus peccatores debemus accipere. Nam grandis re vera fortitudo (ait Hieronymus) vt corruant in castris hostium equi, & muli, cameli, & asini, & omnia iumenta eorum, sicut & homines corruerunt. Magnus triumphus, gloriosa victoria, bruta animalia, Deo pugnante, superari. Per equos ergo Zacharias adulteros, & fornicarios intelligit, qui (vt inquit Ieremias) Equi amatores in faminas, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad uxorem proximi sui hinciebat. ] In malis illos designat, qui munditiam carnis seruantes, spiritu impudici sunt, & fordidis sadantur cogitationibus. Cameli, qui

rumi

Genes. 2. 18.

Malac. 1. 3.

Philip. 3.

Iſch. ser. c. 11.

Leuit. 11. 41.

Zach. 14. 15.

Hieron. ib.

Ierem. 5. 8.



Matth. 6.  
24.

ruminant, & vngulam non findunt, magna onera portant, & ad illa suscipienda seipfos inclinant, illi sunt, qui contra illud Domini decretum: Nemo potest duobus dominis seruire. Deo seruiant & mammonæ, & licet in primo appareant mundi, in secundo inueniuntur immundi. Hi non solum iugum Christi suauis, & onus leue, sed importabilia mundi onera portant, quibus non inuiti, sed voluntarij se, libenterque submitunt. Asini sunt insipientes, qui vt terrenis delicijs, ac voluptatibus fruuntur, æterna non vident, nec cœlestia considerant. Iumenta verò illos signant, quorum vites robustæ sunt ad innumerabiles labores corporis, & animi molestias perferendas, vt suæ voluntati satisfaciunt, & honorem, aut opes, aut voluptates concupiscunt arripiant.

Sophom. 2.  
54.

Addamus & alium prophetam, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Sophonias enim ait: Et accubant in medio eius greges, omnes bestia gentium, & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur, vox cantatis in fenestra, coruus in superliminari, quoniam attenuabo robur eius. Accubant sanè in medio eius, id est, in medio mundi (vt Hieronymus, alias expositiones non respiciens interpretatur) greges, ij scilicet, qui ac si essent rationis expertes, iniquos suos principes tamquam duces, & pastores sequuntur, & ne voluntati eorum contradicant, Dei iussa, & mandata conculcant. Bestia dentium, nimirum homines tamquam bestia vitam agentes, qui sola præsentia, & sensibilia conspiciunt. Onocrotali, id est, gulosi & voraces. Ericij, iracundi, & rapinis, ac cadibus seruientes, qui omnes secum conuersantes eruentant, & vulnerant. Auicula, anima leues, & instabiles, putantes omne licere quod libet. Et tandem corui, qui peccandi consuetudine delectati, ita malitia nigredinem contraxerunt, vt valde difficile sit colorem mutare, & ad innocentiam candorem conuerti. Hæc omnia quæ diximus confirmat sententia Chrysolostomi. Homo (inquit) mansuetum animal, & benignum, contraria suæ nature facit, & negligentia mores suos inferinos vertit. Idcirco, & diuina Scriptura propter affectiones illas interturbantes ab irrationabilibus, & à feris agnominaciones, his, qui ratione insigniti sunt, imponit. Interdum canes ob impudentiam, & impetum vocat, dicens: Canes muti, non valentes latrare. Interdum ob libidinem, equos; Nam equi in feminam insanientes, vniuersique vxori proximi sui adhinniebat Interdum verò asinos, ob stupiditatem, & ruditatem. Comparatus est enim (inquit Scriptura) iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Interdum etiam leones, & pardos vocat ob rapacitatem, & habendi auiditatem. Aliquando autem aspidem, ob fraudulentiam. Venenum (inquit) aspidem sub labijs eorum. Nonnumquam serpentes, & viperas, ob latens venenum, & malitiam, sicut & Beatus Ioannes clamabat, dicens: Serpentes progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Insiper & alia affectionibus respondentia nomina imponit, vt sic vel tandem confusi ad suam aliquando redeant nobilitatem, & suo generi confederentur, affectionibusque suis diuinas leges præferant, quibus sese delinquendo permiserunt.

Isa. 56. 10.

Ierem. 5.  
8.

Psal. 48.  
11.

Psal. 13.  
5.

Matth. 3.  
7.

Talibus hominibus figura, & bestiis immanibus vita, putas ne tu, o homo, virtutis amator, quia comitatus incedis? An existimas te habere in his, quos sequaris & imiteris? An habes aliquem, qui faciat tibi vnum ex his ad bonam vitam necessarijs, miseris tui? Quinimò his circundatus es, quorum exemplis, & verbis ad extremam paupertatem, & ignominiam, tandemque ad miserissimam mortem traharis.

A Nam luxuriosus, non te castitatem, sed libidinem, & intemperantiam docebit: superbus non in modestiam, & humilitatem, sed in superbiam, & arrogantiam inducet: Diuitiarum cupidus, non vt opes tuas effundas in pauperes, sed vt alienas iniuste furripias persuadebit: & vitis deditus, non ad virtutes colendas, sed ad sectanda monstra vitiorum excitabit. Gratia igitur diuini Spiritus in te effusa est, & quidè magna & pretiosa, cum te Christus ad religionem vocauit, & potenti inspiratione permouit, vt desertum mundi relinqueres, & illos desereres quorum societas periculosa, doctrina fallax, & imitatio mortifera est. Pulehrè enim dixit Ambrosius, Deserto mundus hic comparari videtur, adhuc incultus, adhuc sterilis, adhuc infœcundus; in quem negat nobis ita Dominus prodeundum, vt mente carnis inflatos, vacuòque virtutis internæ viros, & fragili se gloriæ secularis sublimitate iactantes, pro exèplari quodam, & imagine nobis putemus imitandos, quos procellis mundi huius obnoxios vita mobilis inquietat, iure arundini comparandos, in quibus solidæ iustitiæ nullus est fructus, qui forensibus criniti phaleris, nodis obfiti, vacuo oris strepitu sonori, nulla sui vtilitate, frequeti etiam offensione, intus inania, foris speciosa sectantur. Itaque inter tales, quod ad studium virtutis attinet, non minus solus eras, quàm inter vacuos, & peritrepentes arundines, quæ ob innatam fragilitatem, neque fulcire te possunt, neque vicem armorum præstare, neque tibi in aliù virtutis vsum deseruare.

C Habet ergo mundus hanc deserti proprietatem, quòd solitarius est, & inhabitabilis, quia non ab hominibus suam dignitatem agnoscentibus, sed vilitatem brutorum animalium sectantibus habitatur. Quare lepidè ille philosophus face, accensa in frequentissima ciuitate, & in plateis hominum plenis, hominem quæritabat, inueniens illos non esse homines appellandos, qui rectitudine iustitiæ posthabita voluptatibus, & pernitiòse cupiditati se tradunt.

Est etiam mundus instar deserti incommoditatibus multis refertus, bonis vacuus. Quæ enim commoditates, aut quæ bona ad vitam secundum virtutem faciendam necessaria, in ipsa vanitate, quæ bonorum est priuatio, possumus inuenire? At vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et Dauid: Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Quòd si homines, qui magis ad virtutem iuuare nos debent, vanitas sunt, quia omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum] quod ex alijs rebus mundanis, & honoribus scilicet, diuitijs, & voluptatibus adiumentum accipimus? Certe nullam, omnia mundana nos impediunt, omnia nos vinciunt, ne curramus in cœlum, ne hostium nostrorum manus fugiamus. In medio illorum tamquam in medio veprium, & tribulorum constituti, non occasiones exercendi virtutes, quæ sunt bona summo conatu exoptanda, sed incitamenta peccatorum & seminaria curarum, quæ nos veluti spina pungant inuenimus. Non aliquid constans, & stabile nostram imbecillitatem fulciens, atque sustentans, sed omnia fluxa, & caduca, quæ (si ignitatur super illa) cadant, & consummantur, & sunt causa nostræ ruina, possidemus. Vnde Ioannes Damascenus: Valde abhorremus (ait) corruptibilia hæc, & mortalia vitæ negotia, in quibus nihil potest inueniri firmum, neque planum, neque stabile in se ipsis, sed vanitas sunt omnia, & afflictio spiritus, multas in puncto ferentes transmutationes. Somno enim & umbra, & aura per aërem flante sunt fragiliora, minimaque

Amb. lib. 5, in Lucã in illud, Quid exi sis in deserto vi- dere. c. 7.

Eccles. 1.  
1.  
Psal. 38.  
6.  
Psal. 13.  
3.

Damas. lib. de Balaam. c. 12.



ineft eis gratia, & neque gratia, fed error quidam. & seductio malitiae mundi, quae non diligere, sed potius odire ex corde praecipimur.]

Sicut autem loca incommoda, & rebus ad vitam transigendam necessariis destituta, solent esse infalubria, & male sana, in quibus homines variis aegritudinibus afficiuntur: ita in saeculo vniuersis commodis ad virtutem vacuo, omnes mundani grauissimis morbis laborant. Nam vitia, & peccata quibus subiacent, quid nisi morbi, & aegrotationes sunt? Audi Isaiam hoc affirmantem. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnerus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. ] Audiet & Prudentium, qui ita Beatum Laurentium praefecto vrbis loquentem introducit.

Isa. 1. 6.

Prud. l. 2.  
Poristeph.  
hym. 2.

*Quemuis tuorum diuitum,  
Qui veste & ore prauiter,  
Magis probabo debilem,  
Quam quis meorum est pauperum.  
Hunc, qui superbit serico,  
Quem curras inflatum vebit,  
Hydrops aquosus, lucido  
Tendit veneno intrinsecus:  
At hic auarus contrahit  
Manus recuruas, & volam  
Plicans aduncis unguibus,  
Laxare nervos non valet.  
Istum libido fatida,  
Per scorta tractum publica,  
Luto & cloacis inquinat,  
Dum spurca mendicai stupra.  
Quid illi feruens ambitu,  
Sitiique honoris estuans,  
Mersus ne anhelat febribus.  
Atque igne venarum furis?  
Quisquis tacendi intemperans  
Silenda prius proderet,  
Vexatur, & scalpiti iecur,  
Scabiemque cordis sustinet:  
Quid inuidorum pectorum  
Sivomas retexam turgidas?  
Quid purulenta, & liuida  
Malignitatum vulnera?  
Tu te ipse, qui Romam regis  
Contemptor aeterni Dei  
Dum demonum fordes colis,  
Morbo laboras regio.*

Hac Prudentius, non minus verè, quam eleganter: Isti enim omnes pestilentibus morbis laborat quos oportet fugere, ne nos contagio scelerum suorum inficiant. Sed proposito inter illos fatuitas erat ab aegris tam grauitur laborantibus praesidia sperare virtutis: quia aeger & semimortuus non est idoneus auxilium praebere, sed magis ab aliis accipere.

Est ergo mundus re vera omnibus bonis desertus, & hominibus vacuus, qui hoc nomine hominum digni censeantur. In his autem omnia alia deserti incommoda sunt comprehensa. Quis enim neget mundum locum esse sterilem, siquidem nec aratro compunctionis proscinditur, nec semina doctrinae recipit, nec fructus operum bonorum producit? Quod si quando semen ei diuini verbi committitur, natum aret, quia non habet humorem; aut ab spinis sollicitudinum suffocatur, aut a volucribus aeris huius, id est, ab aduersariis nostris comeditur. Quis ambigat locum esse spinis, tribulisque referum? Nam & curae, & tribulationes assidue, spinae sunt, quae miseram animam pungunt, atque dilacerant. Quis non videat frigori, ac aestui patere: aestus quippe est ardens amor

Luc. 8. 7.

temporalium, quem Isael ignem vocat consumente speciosa deserti & frigus, inordinata tristitia, quae homines non assequentes, quae volunt, contrahit, & vi meroris consumit. An non habitaculum bestiarum est, quod est domicilium peccatorum, & eorum hominum, qui (vt diximus) more bestiarum passionibus raptantur, & in eos, qui miseros cohibent, crudelitate deserviunt? An non locus meticulosus, & inaquosus, in quo (vt dicitur in Deuteronomio) est serpens statim adurens, id est, immoderata cupiditas, & scorpio, id est, caro nostra blandiens, ac dispas, id est, Diabolus latenter percuciens, & nulla omnino aqua, quia res temporales haud quaquam sitim nostri cordis extinguunt? An denique non locus deuius, vbi mundani viam ciuitatis habitaculi minime inueniunt? Vtinam vel viam haberet ipsum desertum (inquit Augustinus) Vtinam illuc homo incurrens, vel nosset, quia inde exiret. Non videt hominem ad solatium, non videt viam, qua careat deserto. Ergo ibi diuertit? Vtinam esset vel aqua, vnde reficeretur, qui inde non potest exire. In hoc igitur spiritali deserto, tam solitario, tam hominibus vacuo, tam periculis pleno, tam omnibus bonis destituito, non mirum, o anima mea, si non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his, miseris tui Sapienter igitur fugisti desertum istud, feliciter in locum quietis, & pacis peruenisti, vbi sunt, qui te iuuent, ac foueant, qui te doceant, & induant, & ab imminetibus tueantur periculis.

Io. 1. 19.

Dmt. s.  
15.

Jf. 1. 06. 4

Aug. P. sa.  
62.

*Quam vilis & abiectus sit homo, qui mundana sectatur.*

CAPVT X.



OLENT pauperes, & nobilitatis, opum, ac amicorum praesidiis destituti haberi contemptui, & ab omnibus sperni, irrideri, ac conculcari. Quia haec est antiqua mundi consuetudo (ob qua profecto sola esset fugiendus) quod nemine propter seipsum diligit, aut honore afficit, sed propter diuitias, quas possidet, propter vestes, aut corporis amictu quo splendet, propter familiaritate aut amicitia principu, in quam se ipsum insinuat, vel propter sodales, & amicos nobiles, quorum fauore, & potentia fulciatur. Hoc autem mundi malum, non solum diuina fide perfusi, mete sumus assequuti, sed ethnici quoque in magnam quandam ignorationem prolapsi, cognouerunt. Quare memoriae proditum est, philosophum quemdam contemptibili habitu amictum a domo principis non sine irrisione repulsum, habitum vilem in alium pretiosum, ac splendidum commutasse. Quo indutus, cum statim non sine honore in palatium esset admissus, palliu, quod gestabat osculari cepit, dicens: Honorantem honoro, quia, quod virtus non potuit, vestis obrinuit. ] Hanc verò mundanorum consuetudinem ignorantia subnixam, Dominus a cordibus suorum fidelium radicatus extirpare disposuit, cum dixit per Iacobu Apostolum. Si introierit in conuectum vestrum vir aureum anulum habens, in veste candida, introierit autem pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste praecleara, & dixeritis ei, tu sede hic bene, pauperi autem dicatis: tu sta illic, aut sede sub scabelo pedum meorum, nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? ] Hac oratione eos damnans, qui (quod attinet ad interiorem reuerentiam & aestima

D

E

Luc. 1. 2.

tionem)



tionem)folius annuli,hoc est,simbria aurea in veste candida,quod erat nobilitatis insigne,rationem habent, & virtutem,atque vitæ innocentiam mendici hominis aspernantur. Si ergo. ò anima, aded pauper in sæculo, & omnium rerum indiga eras, vt nec aquam haberes,qua tuas sordes dilueres,nec lucem, qua iter æternitatis videres,nec pannos, quibus tuâ nuditatem obtegeres, neque aliquid aliud eorum, quæ necessaria sunt ad vitam secundum virtutem consecrandam, quia mundus vtique locus deserti, & solitudinis has opes proprias habere non potest, & si aliquid habet, aliunde emendicatum conquirat, quid mirum, si vilitatem, & ignominiam paupertatis comitem incurreris, eo ipso verissimam quod veram, & solam paupertatem sequitur, quæ sita est in defectu virtutis? Quid mirum si Dominus mala sæculi, & incommoda huius patriæ tuæ, in qua nata es, & educata, hac sententia concludat? Sed proiecta es super faciem terræ in abiectioe animæ tuæ, in die qua nata es.] Quæ enim in terra proiciuntur, & à suo possessore pro derelictis habentur, cum tamen seruare ea possit, vilissima sunt, & nihil æstimantur. Tu ergo proiecta super faciem mundi huius, & in tanta bonorum solitudine relicta, vilissima, & abiectissima eras reputanda. Si autem auces scire huius causam vilitatis, eam Dominus per prophetâ designat illis verbis: In abiectioe animæ tuæ, id est, propter iniquitates, & abominaciones tuas, quibus fædabaris, & deformis, atque abominabilis efficiebaris in conspectu Dei tui.

Iam igitur huius vilitatis, & abiectiois causas singillatim expendamus, videbimusque quàm sit anima despicibilis, quæ mundo seruit, & rerum peritura- rum amoris subiicitur. Vna est ea, quam diximus, paupertas boni, vacuitasque virtutis. Sicut enim virtus seipsa est honore dignissima, & omnes in sui honorem, & venerationem inducit, ita vitium seipso est vilissimum, & abiectissimum, & vniuersos in sui contemptum & despectionem conuertit. Quare anima peccatis victa, vitiisque subiecta non potest in pretio haberi, sed abiecta reputari. Vnde Dominus apud Ieremiam: Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas, & ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. ] Profectò vilis, qui iterat vias suas, id est, peccata peccatis addit, quibus magis ac magis à sua dignitate discedit, & in maiorem miseriam declinat. Quæ ab Ægypto in Assyrios properans, & ab Assyriis in Ægyptios tendens, hoc est; ab his criminibus ad illa distugiens, neque in istis, neque in illis auxilium, aut tranquillitatem, sed confusionem, & conscientie propriæ cruciatum inueniet; donec suas arumnas agnoscat ad Dominum conuertatur, dicens: Vide, Domine, & considera, quoniam facta sum vilis. ] Iure optimo, quæ multitudine iniquitatum suarum vilis facta est, voce sancti Iob, folio & stipula, rebus vilissimis, comparatur, cum ad Dominum inquit. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? ] Quid est enim homo (ait Gregorius) nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus leuatur? Mens quippe humana, quot tentationes paritur, quasi tot flatibus mouetur. Hanc enim plerumque ira perturbat, cum recedit ira, succedit inepta læticia, luxuriæ stimulis vrgetur, aestu auaritiæ longè lateque ad ambienda, quæ terrena sunt, tenditur. Aliquando hanc superbia cleuat, aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus eleuatur, & ducitur, rectè folio homo comparatur.

A] Vnde bene quoque per Isaiam dicitur: Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem leuauit. Bene autem post folium etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium à semetipso factus est in tentatione, sed post stipula apparuit in deiectione. ] Et hæc quidem optimè.

Sed non tantum homo folio, & stipula comparatur, ob rationes ab hoc sanctissimo Doctores assignatas, sed quia sicut nihil est folio, & stipula vilius, ita nihil est homine mundano, & peccatis dedito, contemptibilius. Enim verò ad nihil vilis est, nisi vt igni detur cruciandus. Quod Dominus per Ezechielem testatur, sub metaphora ligni vitis, quod à vite præcisum, neque aptum est, vt ex eo fiat opus, aut fabricetur de eo paxillus, aut vt dependeat ex eo quodcumque vas: denique ( vt inquit Angustinus) nullis agriculturalium vsibus prodest, nullis fabrilibus operibus deputatur. ] Sic mundanus homo, neque accommodatus est, vt eum aliquis imitetur, neq; vt eius cura, & prouidentie committatur, neq; vt ex eo fiat aliquis vir sanctus, atque perfectus. Quod si aliquando fit, id non est peccatoris debitum, sed Dei miserentis donum, qui dixit: De tenebris lucem splendescere, & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt. Meritò ergo res tam vilis, vt est peccator, proicitur, & super faciem terræ ab omnibus conculcandus dimittitur.

Alterà causa est, quia homo rebus sæculi inhærens, passionibus sui cordis subiicitur, estque suorum affectuum mancipium. Si autem seruus eò vilior est, & despicibilior, quò viliori domino seruit, & in abiectiois heri transiit potestatem, quanta erit vilitas peccatoris, qui tot affectibus vanis obtemperat, & tam vilissimis dominis se submittit? Quanta calamitas eius, qui à sibi dominantibus ad contraria cogitur, & ad ea, quæ simul fieri non possunt, sæpius simul, & eodem tempore impellitur? Cupiditas iubet, vt parta custodiat: voluptas, vt in suum vsum, & vilitatem insumat, ira imperat, vt vlciscatur iniuriam, timor vetat, ne discrimen infamie, aut mortis incurrat. Miserum autem mancipium, tamquam inter duas vias constitutum, nescit qua pergat, aut cuius domini imperatum perficiat. Magna certè miseria animum contraria cupere, & veluti in saua tempestate positum, ventis contrariis agitari. Ided de impiis dictum est: Impij quasi mare seruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum. ] Magna hominis abiectio tam contemptibilibus heris seruire, & tam vanissimis desiderijs cruciari. Egregiè dixit Laurentius Iustinianus cum isto homine loquens. Quid te vilius, quid contemptibilius, quem fames, litis, lassitudo, frigus, labor, calor, quies, peregrinatio, torpor atterunt: Quem diuitiæ extollunt, honores inflant, paupertas deiecit, successus demerit, odia vrunt, labores accendunt, libido inflammat, gula subigit, ira discepit, & omnium vitiorum rabies supplantat: Quem ignorantia cæcat, dolor affligit, tristitia deprimit, inepta læticia surripit, spes vana occidit, timorque seruilis interficit? ] Quid mirum si homo tam vilis super terrâ proiciatur, & tamquam res nullius pretij, & ad nullum vsum apta, solus relinquatur?

Sed præcipua causa, quare mundanus homo dicitur in terram proiectus, ea est, quia omnes cogitationes, & omnes affectus terræ habet affixos, & vniuersa eius, tum verba, tum opera terram sapiunt, & in res terrenas diriguntur. Quæmadmodum enim,

Ezech. 15. 2. 3.

Isa. 64. 6.

Ezech. 15. 2. 3.

Ang. 37. 81. in Io. tom. 9.

1. Cor. 4. 6. Rom. 4. 17.

Ierem. 2. 36.

Thren. 1. 11.

Iob. 13. 25. Greg. 11. mor. c. 22.

Isa. 57. 20.

Laur. in Iustin. de casto con. 11. c. 20.





qui ex eminenti loco ad terram alliditur, manibus, & pedibus, & reliquis membris terram tangit, & pulvere aspergitur, aut luto, sordibusque sedatur: sic rerum mundanarum sectator, vniuersis viribus animæ suæ, non aliud quàm puluerem, & lutum amplectitur. An non huiusmodi homines cogitationes suas terræ habent affixas, si quidem de illis scriptum est: Oculos suos statuerunt declinare in terram? Non casu, aut perfunctorie: sed magno conatu, & tamquam rem ferid agendam, mentis oculos, cogitationes scilicet in terram defigunt. Similes illis iniquis iudicibus, qui declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.] An non affectus terrestres habent, quorum Deus venter est (vt ait Paulus) & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt? Quinam sunt isti (inquit Chrysolomus) nisi qui terrena curant? Edificemus domos. Vbi? in terra, inquit. Possideamus agros, in terra rursus. Acquiramus principatum, iterum in terra. Potiamur gloria, in terra quoque. Ditescamus, omnia in terra. Isti sunt, quorum Deus venter est; qui enim nihil rerum spirituum curant, sed hic omnia possident, & terrena ita curant, merito Deum ventrem habent, dicentes: Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.] An non verba istorum terrestria sunt, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, & sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebāt, venenum aspidum sub labiis eorum? Quos si audias ex verbis, non Christi discipulos, sed iracundie seruos, cupiditatis vernas, libidinis amatores iudicabis.

Psal. 116.  
11.

Dan. 13.  
9.

Philip. 3.  
19.  
Corysibi.

1. Cor. 13.  
32.

Psal. 133.  
3.

Ber. ser. 1.  
de aduen.  
111.

Dan. lib.  
de Ba. e.  
12.

An non tandem opera mundanorum ad terram retinent, qui (vt ait Bernardus) ommissis veris & salutaribus studiis, caduca potius & transitoria querunt? Hos merito confert cum illis, qui submersi periclitantur in aquis. Nam sicut isti omni conatu tenent, neque vlla ratione deserunt, quod primum occurrit manibus, licet tale sit, quod omnino prodesse non possit: ita miseri, insipientesque mundani, caduca, & peritura apprehendunt, magnaque contentione retinent, quibus haud dubie, neque naufragium effugient, neque saluare poterunt animas suas.

Hos igitur tam viles, tam despectos, & in terram, siue in terrenarum rerum desideria proiectos, mundus irridet, & illis tamquam aleis, aut tesseris ludit. Iam illos extollit, iam deiecit: nunc rebus secundis lætificat, postea successibus aduersis contristat, hodie bonis temporalibus implet, postera die pauperes, & vacuos derelinquit. Et in his omnibus vnus finis est insaltees mundanos decipere, & ac si essent trochi puerorum mutabilitatis scutica huc illicque agitare. Hunc mundi ludum, quo mundanis illudit, Ioannes Damascenus his verbis describit: Et est secundum veritatem odibilis iste mundus, & abominabilis: Nam quantacumque donat amicis suis, cum ira denuò diuipit ea, nudatosque omni bono, & confusione indutos, omnibusque grauibus prægruatos æternæ transmittit tribulationi. Quos modò exultat, subito vltima miseria humiliat, subdens eos pedibus omnium inimicorum suorum. Tales ergo gratiæ ipsius, talia sunt & dona. Inimicus enim est amicorum suorum, & hostis omnium, qui faciunt eius voluntatem. Discerpit crudeliter incumbentes super se, enervat illos, qui confidunt in eo. Fædus posuit cum insipientibus, & promissiones falsas eis pollicitus est, ad hoc tantum, vt trahat eos ad se. Illis sibi acquiescentibus ingratus ipse, & fallax demonstratur, nihil eorum complendo, quæ promiserat. Hodie regem aliquem constituit, & cras seruitutis iugo supponit. Hodie multis affluentem bonis,

cras mendicantem reddit. Hodie coronam gloriae eius vertici imponit, sed vultum illius cras in terram deprimit. Hodie exornat collum illius splendidis gemmis, dignitatum torquibus, cras humiliat ferreis vincum compedibus. Amabilem hunc ad modicum omnibus facit, odibilem verò paulò post facit & abominabilem. Hodie lætificat, & cras lamentis eum & fletibus afficit. Qualem verò, & his finem imponit, audi. Habitatores gehennæ dilectores suos perficit miserissime.]

Ecce, o anima, ludum mundi, quo te tamquam pila ludebat, & huc illicque versabat. Ad hoc proiecta videbaris super faciem terræ in abiectioe animæ tuæ, in die qua nata es, vt mutabilitati exposita in nulla re confiteres, neque securitatem inuenires. Merito ergo conata es, à puluere terra consurgere, & in locum sublimem, atque in altiore statum properare, in quo facile est ex istis, quæ numerauimus, malis euadere, & contraria bona, non sine gaudio, & tranquillitate possidere. Iam itaque liberata, viris sanctis te non solum vita, sed etiam actione gratiarum adiunge. Qui læti, & alacres canunt, Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus, adiutorium nostrum in nomine Domini. Quemadmodum enim auicula, cauea aut laqueo soluta, libere volat, quouis appetitus animalis impulerit, & in arbore residens alacriter garrit, quasi aucupi, qui eam tenebat, insultans: ita isti sæculi liberati laqueis, & carcere sollicitudinam inaniū exoluti, in horto sanctæ religionis confidentes, mandum, qui eos vincetos detinebat, irridet, affectibus in sublime volat, & Deum à quo se sentiunt in spiritus libertatem assertos, ingenti laudatione concelebrant.

Psal. 123.  
7.

Quòd magnum bonum sit hæc omnia mala  
sæculi effugisse per religiosam vitam.

#### CAPVT XI.



I hæc ita sunt, sicut re vera sunt, nemo est qui non videat, magnum bonum, & præstantissimum Dei donum esse, ab his nos malis euasisse, & in religiosam vitam euolasse. Et quidem hoc diuinum beneficiū, non simplex, sed duplex est: Alterum, quòd religiosi tantis malis eripimur, neque enim paruum bonum est carere malo, & præsertim tanto malo, quod cumulus omnium malorum esse videtur. Alterum verò quo contrariis bonis beneficiis que donatur. Duobus namque modis potest quis à naufragio eripi, vel à dura suorum hostium seruitute liberari: primò, si ex medijs fluctibus, vel ex cuneis hostium erutus in litore, vel in patria sua liber, sed nudus & pauper relinquitur. Secundo, si hostibus, vel procellis exemptus ad priorem dignitatem, vel maiorem euehatur, & magnis opibus cumuletur. In quo multò præstantius donum est, & sanè ex duobus beneficiis compactum: quorū vnum est ex procella, vel ex hostibus liberari, per se satis expectandum, quòd aperta experientia demonstrat eorum, qui ex tempestate, non minus nudi, quàm alacres euadunt, aut ex ergastulo liberi, sed tamen pauperes aufugiunt.

E

Alterum verò simul cum euasione periculi, opes numquam habitas comparasse, & magnos honores, aut dignitates acquisisse. Ita profus nos in religiosa vita duo hæc beneficia recepimus, & quòd mala sæculi intolerabilia effugimus, & quòd bona ineffabilia, quæ numquam in mentem nostram venerunt,



Iob. 42. 10.

Greg. 35. mor. 6. 11.

Psal. 141. 6. Hebr. 13. 14.

1. Petr. 2. 11.

Hebr. 11. 13.

Ber. ferm. 7. quadr.

Psal. 38. 13.

Matt. 23. 9.

Psal. 26. 10.

sumus sine meritis assequuti. Quae duo in patiente Iob adumbrata videmus. Hic enim non solum ab insanabili morbo conualuit, sed omnia, quae amiserat, oues, & boues, camelos, & asinos, filios, & filias, duplicata recepit. Quia licet post aduersitatis probatio nem, septem tantum filios, & tres filias genuerit, tamen duplices filios recepit, quia quos vita functos viderat, non perdidit, sed (vt inquit Gregorius) in occulta animarum vita seruaui. Eodem modo religiosam vitam amplexi, a malis saeculi, & moribus immedicabilibus conualuimus, & bona, si quae erant in mundo, non duplicata, sed centuplicata, suscepimus.

Vt vero haec duo beneficia praestantissima, minime nostram cognitionem, gratitudinemque praetercant. exacte ea examinemus, sigillatimque expendamus. Ingens bonum est ab aliquo magno malo eripi, quanto maius erit a tantis simul malis educi? Praestantissimum bonum est aliquod maximum beneficium sine vlllo merito accipere, quanto praestantius erit tantis, ac tam diuinis beneficiis simul ditari? Ia non exprobrat nobis Dominus: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan. quia per religiosam vitam, non incolae terrae sumus, sed caeli habitatores efficiamur. Portio namque nostra in terra viuentium, & no ster municipatus in caelis est, non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, cuius si regulam nostram custodiamus, iam ciues dexteri sumus. Nec mirum esse debet si ciues patriae caelestis habitemus in terra, quia terram incolimus, non tamquam ciues, sed tamquam aduenae, & peregrini. Nobis enim praecipue loquitur Petrus Apostolus. cum ait: obsecro vos, tamquam aduenas & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desiderijs, quae militant aduersus animam. Nam si illi patres antiqui uxores ducentes, & huius mundi substantiam possidentes, a longae promissionis sibi factas saluabatur (vt Paulus ait) & fitebantur se hospites esse, & peregrinos super terram, quanto potiori ratione nos erimus in mundo peregrini, qui neque uxores ducimus, neque nostri iuris sumus, neque domum propriam agnoscimus, neque viliissimum obolum, tanquam proprium, possidemus? Peregrinus (inquit Bernardus) via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram: si forte iurgantes viderit, non attendit: si nubentes, aut choros ducetes, aut aliud quodlibet facientes, nihil minus transit, quia peregrinus est. non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum, & victum habens: non vult alijs onerari. Quis non videat haec omnia religiosi conuenire, quia a Domino charitate dilatati, regiam viam mandatorum currunt, saecularium iurgia nec respiciunt quidem, ludos & prosperitates non curant. Suum iugiter desunt incolatum, dicentes: Quoniam aduenae ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Qui ita transeunt per terram Chanaan, ad terram promissam, ad patriam viuentium festinantes, & ibi desiderio, & operum imitatione habitantes, iam deserunt esse incolae saeculi, & facti sunt incolae caeli, ciues sanctorum, & domestici Dei.

Iam non dicet nobis, qui saeculo vale diximus: Pater tuus Amorrhaeus, & mater tua Chetaea. Quia illud a Domino mandatum accepimus, & patre nolite vocare vobis super terram, vnus est enim pater vester, qui in caelis est. Quid mihi cum parentibus, qui me ad labores, & lachrymas genuerunt, quos in limine iacentes calcavi vt ad crucis vexillum euolare? Quid mihi & illis, nam postquam illos reliqui, mei oblitos esse cognoui? Pater enim meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit

me. Quid tandem mihi & illis, quos obliuisci, & relinquere iubeor, vt partem, quam optavi, in aeternum accipiam? Nam si quis venit ad me (inquit) & non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus. Non igitur patres mei rebelles sunt, & infani, sed pater meus est tu, quem sequor, quem amo, cui placere, & similis esse cupio, Deus meus, & susceptor salutis meae.

Neque etiam illud probro dabitur nobis: Et quando nata es in die ortus tui non est praecisus umbilicus tuus. Quia pia nutrix nostra sancta religio, per votum castitatis, libidinem, & incontinentiam refecit, & per votum paupertatis, & obedientiae, propriam voluntatem, & reliquarum passionum intemperantiam amputauit. Vixne audire, quam bene in die ortus nostri, quo Deo nati sumus, umbilicus inordinatarum passionum nobis praecisus sit? Audi ex ore Hugonis Victorini quid sit religiosa disciplina, quam in ipso ingressu religionis sumus amplexi, & aperte videbis eam vniversos affectus amputare, & rerum terrenarum concupiscentias cohibere. Disciplina (inquit) est compes cupiditatis, malorum delictorum carcer, fraxinum lasciuiae, elationis iugum, vinculum iracundiae, quae domat intemperantiam, leuitatem ligat, & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus suffocat.

Si haec tam inimica vitiorum nos Domino nascentes suscepit, quis dubitet, neque fuisse negligentem, neque obliuiosam in comprimendis vanis desiderijs, ac effrenatis cupiditatibus amputadis? Est ne in religiosa vita, qui umbilicum cupiditatum praecindat, & omnia noxia, & superflua refecet. Hoc enim primo facit Dominus per seipsum, sermone suo interius docente, ineptas concupiscentias amputas. Quia cum iam fecerimus fructum, mundana contemnendo, & vitam puram, & illibatam sectando, aequum erat, vt ipse nos purgaret, & affectus inordinatos cohiberet, cum scriptum sit: Et omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructus plus afferat. Deinde nos purgat per leges, & regulas scriptas. Neque enim solum laude sua (vt legimus in Isaia) infrauit nos, sed etiam regule, ac legis gladio munuit. Vt extranei nos considerantes, & admirantes, dicant, Quia exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij accipites in manibus eorum. Fraxinum est diuina laus, cui iugiter inhaeremus, quia tenet nos, ne in verba inania, & opera infructuosa feramur praecipites, & gladius est regula, quae circumcidit non carnem, sed cor, vt in populo Domini numeremur: Viget enim adhuc lex Domini, non corpori adaptata, sed cordi. Quia masculus, cuius cor circumcisum non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Tandem hanc spiritualem amputationem facit Dominus per correctionem praetorum, qui nihil dissimulat, neque impunitum relinquit: per exempla fratrum, qui sibi ipsis acriter imperantes, opere docent nos similia praestare, & per ipsam nostri status naturam, cum nihil aliud sit, quam veteris hominis, & omnium operum eius spoliatio, affectuumque nostrorum abiectio.

An dicetur iam animae cuiuscumque nostrum: Et aqua non es lota in salutem? Minime, si moribus, vitam, quam profitemur, seruamus. Quae vita est penitentiae, non vno, vel duobus diebus, sed omnibus diebus, & noctibus peccata vicia saecularis desunt, & maculas inter mundanos contractas abundantissima lachrymarum profusione detergens. Quare enim no dicam de qualibet religiosa domo bene instituta ac gubernata, quod Ioanes Climacus de monasterio penitentium, aut religione fugientium, dixit. Vidi rem vera (si dicere id audeam) quae negligentis oculus

Luc. 14.

Psal. 88. 27.

Hugo de instr. no. uitor. c. 10.

Ioan. 15. 2.

Isa. 48. 9.

Psal. 149. 6.

Gene. 17. 14.

Climacus 5. de uiscerata penit.



non vidit, aurisque desidioli non audiuit, & in corpore hominis non ascenderunt, res & verba, quae Deo vim inferre possent, habitus & studia, quae ipsius studia celerime flecterent. ] Non sine magna nostra confusione aspiciamus, quosdam graua peccata saeculi, quotidie magnis fletibus, & cordis compunctione lugentes, alios, qui ab ipsa pueritia se Deo dederunt, leuissimas maculas ex humana conuersatione contractas, amarissimis lachrymis descentes; alios praededitio maioris puritatis suspirantes, & pro eius obtentu enixè diuinum adiutorium inuocantes, alios vsque ad multam noctem stare pernixes, si forte valeant noua dona, & charismata de manu caelestis regis impetrare, alios flagris, ciliciis, ieiuniis, & pectoris tensionibus seipsum affligentes, alios publice, & coram cætu fratrum suos defectus sponte proplanantes, alios ita suos sensus & affectus comprimentes, vt non carnem gestare, sed iam eam exuisse videantur: alios ita studium virtutum vniuersarum sectantes, & diuinæ familiaritati inhaerentes, vt potius ciues caeli, quam terræ habitatores appareant.

Hæc omnia, & alia, quae sciens, vidensque praetereo, amplectuntur perfectionis studia, vt seipsum mundent, & lauent, & pulchritudinem in dies maiorem acquirant. Quis dubitet istos in salutem lauari, quibus tanta est munditiæ cura, tanta puritatis, & innocentiae custodia? Quis ambiget ad salutem mundari, quibus promittit Dominus per Ioëlem. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram, & Dominus commorabitur in Sion. ] Si deus iustificat, quis est qui condemnet? ]

An tandem dicitur per probrum animæ religio. sa. Et sale non es salita, neque inuoluta pannis? ] Nequaquam: Quia tanto sale sapientiae caelestis abundat, vt sit salinis, id est, sanctorum patrum libris circumdata, ex quibus colligit, quo seipsam saliat, & alios etiam verbo, & doctrina condiat. In ipsa corporis refectione, in qua seculares solent gula, & ebrietate, ac verbis saltem otiosis suas animas putrefacere, anima religiosa isto diuino sale, quo se praeseruet, non caret; quia ibi frater resonat alicuius sancti patris volumen legens, cuius, sicut corpus eibus, ita mens doctrina reficitur. Magnum certe bonum, quod recumbentibus, & conuulentibus discipulis apparuit Iesus, & eos incredulitatis increpuit, & eorum faciendarum admonuit. Sed huius magni boni quotidie anima religiosa in corporis refectione perficitur, dum Christum per os Gregorij, Bernardi, aut Basilij, aut alicuius sancti patris, loquentem audit, docentemque, quid facto opus sit, & negligentiam, ad fœcordiam animæ increpantem, quo inter ipsas epulas in dulces lachrymas interdum, fletusque resolutur. Sale profectò salita est, quae ibi sapientiam addiscit, ubi alij sapientiam perdunt, imò & vsum propriae mentis amittunt.

Sed quid de huius animæ vestibis dicam? Quae quanto verius exteriorem corporis cultum contemnit, tanto pulchrius interioribus indumentis ornatur. Virtutum sane decore procedit induta, nimirum castitate, humilitate, mansuetudine, obedientia, patientia, charitate. Hæc enim sunt indumenta (vt inquit Hugo) quibus anima potest caelesti Imperatori placere. Non enim exteriorem, sed interiorem pulchritudinem requirit sponsus, sicut scriptum est: Omnis gloria eius filiae regis ab intus. ] Quae ed pretiosiora sunt, quod ab anima, non sine assatu diuino proprio labore, atque industria comparantur. Nam si, vt refert Beatus Hieronymus, apud Græcos Philosophos ille laudatur, qui omne, quo vtentur, vsque ad pallium, & annulum, manu sua factum

gloriat, quid ni anima in Domino glorietur, quae vestes istas virtutum aded pretiosas, & pulchras propriis actionibus fecit, Dei gratia, & fauore munitis, & magna vigilantia, ac labore quaesuit? Non deest profectò qui faciat illi vnum ex his miseris eius, quia Deus ipse, & religiosus status, & omnes tum maiores, tum aequales, tum minores, inter quos viuit, tum ipsa, viribus diuinis adiuta se purgat, illustrat, & veltit.

Non est proiecta super faciem terræ in die, quae nata est: quia eo ipso, quod mundo moritur, & Domino in religione nascitur, vniuersi eam honorant, & magna reuerentia, & veneratione suspiciunt. Quis enim non eos prosequatur honore, à quibus non modicam percipit vtilitatem? Huiusmodi autem vtilis populis, sancti, & iusti sunt, quales omnes religiosi, à rebus mundanis remoti, & Deo consecrati esse deberent. Quare nemo erit sanae mentis, qui eos non veneretur, atque suspiciat. Plurimum refert (inquit Ambrosius) & moralem edificat affectum, si etiam numerum iustorum simpliciter accipiamus prodesse populorum saluti. Comprimit, & refecat inuidiam, confundit improbitatem, virtutem incitat, auget gratiam. Nemo enim inuidere debet alteri laudem, quae sibi proficit, atque improbus quisque redemptorem suum, dum suscipit, frequenter imitatur. Certè veneratur, plerumque etiam diligit ] Et rursus alio loco idem Beatissimus doctor ait: Ciuitates Leuitarum redemptrices significauit Moyses: quia is, qui fugit ad eam animam, in qua habitat Dei verbum, quae vrbis modo munita, atque vallata sit, perpetuam libertatem acquirit sibi. Sicut enim in ciuitatibus Leuitarum, erat penarum remissio, vt si quis ad eas confugeret, qui non voluntaria necem hominis admiserat, nulli eum occidere liceret intra vrbes duntaxat positum Leuitarum, ita quem peccati proprii pernitet, quod aut imprudenter, aut inuitus admisit, si Leuitarum adhaereat incolatui, & ab his praceptoribus, qui Dei mandata dispensant, recedendum non putet, lex ipsa ab omni eum commissi flagitij poena, supplicioque liberat. ] Qui tam viles & fructuosi sunt populis, non proiciuntur super faciem terræ tamquam viles & abiecti, sed ad omnibus summis laudibus extolluntur.

Magnum ergo Dei beneficium est à tantis miseris, tanta ignominia, ac paupertate, tantis periculis calamitosi saeculi eripi, & in statum tam praestantissimum, omnibusque opibus spiritualibus refectum adduci. Quare, o vos, qui ad vitam religiosam vocamini, & à Domino vestras animas diligente, ad religiosorum catus intrandum inuitamini, ponite excusationes, rumpite motas, & hodie si vocem eius audieritis, nolite obturare corda vestra. Fugite huius vastissimi maris pericula, à sana vitiorum tempestate, & occasione procellis vos remouete, & prora nauigij ad littora viuientium retorta in portum religionis appellite. Ego, vt verba Hieronymi vsurpem, non integra rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctum praemoneo, sed quasi nuper naufragio eiectus in littore, doctus naua timida nauigationis voce denuncio. In illo aestu Charibdis luxuria salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiam perpetranda naufragia Scylla, ceu renidens libido blanditur: hic barbarum littus, hic Diabolus pirata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fuscum aequor arideat, Licet vix summa facientis elementi spiritu terra crispentur, magnos hic campus montes habet, intus inelusum est periculum, intus est hostis, expedite ruentes, vela suspendite,

Amb. lib. de Cain & Abel c. 3.

Ibid. c. 4.

Psa. 94. 8.

Hier. Ep. 1. ad Hier. lio. c. 5. tom. 1.

Ioel. 3. 21.

Rom. 8. 34.

Mar. 13. 14.

Hugo in reg. c. 6.

Psal. 44. 14. Hier in Neposian. c. 8.



dire, crux antenna figatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est.]

Magna igitur sapientia est Domino vocanti non reluctari, & in tanto discrimine constitutis, opem ferenti summo mentis ardore consentire.

Tu vero, qui iam vocatus à Domino, mundum effugisti, & in fidelem patriam, perfidos parentes, affectuum intemperantiã, cordis inamuditiã, ignorantiam mentis, turpem nuditatem, bonorum paupertatem, viriorum ignominia, atque omnia Babylonis pericula deseruisti, totis visceribus, ac omni conatu metis tuo liberatori Deo gratias referre procura, canta carmen Isaie in honorem illius. Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quonia fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti ciuitatem in tumultum, (illam, quam ego meis prauis operibus edificabam) urbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non sit ciuitas, & in sempiternum nõ edificetur. ] O rem mirabilem à te, Domine, ex aternitate in bonum nostram cogitatum, & præordinatam! Propter quod laudabit te populus fortis, ille qui speretis mundi illecebris, se tibi Deo benignissimo consecrauit, & ciuitas gentium robustarum, quæ vitis vniuersis bellum indicit, timebit te. Quid si iam habitu, & professione sæculi vitia, & peccata effugisti, fuge etiam & mente. Nam (vt inquit Ambrosius) Gloriosa hæc fuga est, fugere à facie peccati. Sic fugit Iacob. Matre sua dicente. Dixit enim Rebecca: Exurgens fuge in Haram. Sic fugit Moyses à facie Regis Pharaonis, ne cum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia. Denique pretiosus Egypti diuitiis estimauit opprobrium Christi. Sic fugit etiam Dauid à facie Regis Saul, & à facie Absalon: Denique fugiens augebat incrementa pietatis, qui & insidiatori percipit, & parricida salutem rogauit. Sic fugit & po-

Isaia 25.

Amb. lib. de fuga sæculi, c. 4.  
Gen. 27.  
43.  
Exod. 2.  
15.  
I. Reg. 10.  
1.  
I. Reg. 15.

Apulus Hebræorum, vt fides eius, & vita inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentia, virtutis via pietatis assumptio. Audeo dicere, sic fugit & Ionas in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui vsque ad Christi ascendit similitudinem, vt fieret typus Christi. Dicit enim: sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & Filius hominis in corde terre tribus diebus & tribus noctibus. Nam si non fugisset, numquam de ventre ceti esset auditus.

Ne putes te adhuc in tuto positum, si quod statu deseruisti, animo & vita non deseras. Nam hæc statu solum, & non operatione relicta, magis quam in sæculo onerant, & vehementius nos in terram depriment. In mundo enim cum possessione rerum terrenarum, licet difficulter, tamen saluari possumus, si amor mensuram diuinæ legis ponamus, & modum in mandatis præscriptum non transgrediamur. At in religione, si ab gehenna liberari cupimus, omne dominium, rerumque possessio, omnis carnis illecebra, omnis proptia voluntas abiicienda est. Si ergo saluari contendimus, (vt ait Bernardus) à præsentis sæculo nequã, quid adhuc de hoc mundo decernimus? Si exire volumus, quid compedes nostros nobiscum trahere laboramus? Bonamus aureos esse, sed multo melius est sine his liberari, quam eorum occasione teneri. Non æstimemus pretium, sed impedimentum consideremus, ne præter ipsam, quæ dura satis reputanda est, conditionis necessitatem, etiam cupiditatis visco inhaerere hic incipimus, & inanis sollicitudinis nexibus irretiri. Ad hæc itaque animo abiicienda tantum beneficium diuinæ vocationis nos moueat, & periculum imminens, tum inquietudinis, tum amittenda salutis instiget. Et his malis mundi consideratis, iam bona religioſæ vitæ, quæ tantum tetigimus, paulò latius audiamus.

Exod. 13.  
8.

Iona 1.3.

Matt. 12.  
40.

Bern. ser. de eo quod scriptum est, Beatus homo, qui audit sapientiam, etc.



## PARS SECVNDA.

### De bonis vitæ Religioſæ.

**N**ON A religioſæ vitæ, qui vellet omnia conscribere, id ipsum profectò aggredieretur quod qui intenderet cali stellas numerare. Religioſa enim vita celum est, aut imago quædam cali sanctissima, quam sicut stella Firmamentum, ita variis ac innumera bona condecorant. Ingressus ipse plurimis bonis plenus est, quæ Deus ad victoriam sæculi, & comitum eius Diaboli, & carnis, & ad noui hospitis in suam domum gratatèr admissi consolationem impertit. Progressus innumerabilibus domis, & occasionibus proficiendi refertus, quibus homo ad vitæ puritatem euebitur. Egressus mirabili tranquillitate mentis, & abundantissimis ad beatitudinem acquirendam auxiliis cumulatus. Atque adeo, qui niteretur hæc omnia minutatim edicere, prius vitam, et si longam acciperet, & omni alia occupatione vacuam, quam scribendi materiam desiniret. Quamobrem, ne quod breui narratione dici non potest, dicere præsumamus, sola ea vitæ nostræ bona, quæ Sanctus Propheta Ezechiel tangit, explicemus. Ille autem sic habet: transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo. Et dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Vive. Dixit, inquam, tibi: In sanguine tuo vive. Multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem: vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit: & eras nuda, & confusione plena. Et transui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam.

c. 26.6.